VETUS LATIUM PROFANUM

TOMUS TERTIUS

IN QUO AGITUR

DE ANTIATIBUS

ET NORBANIS

AUCTORE

JOSEPHO ROCCO VULPIO

SOC. JESU SACERDOTE.



PATAVII. CIↃIↃCCXXVI.
Excudebat JOSEPHUS COMINUS.
Superiorum Permissu.

EMINENTISS. AC REVERENDISS.

PRINCIPI

PETRO MARCELLINO CORRADINO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

Josephus Roccus Vulpius Societatis Jesu Felicitatem.



OLEMNE eſt & ab antiquiſſimis temporibus in ætates ſingulas uſurpatum, PETRE MARCELLINE CORRADINE Cardinalis Ampliſſime, ut qui literarium aliquod opus in vulgus ſunt edituri, huic iidem virum aliquem clariſſimum deligant in patro-

num, ſub cujus tutela & fide conſtitutum, dente minus invido mordeatur. Circumſpiciunt proinde ac diu multumque perpendunt, quem ſibi potiſſimum patronum adoptent, ut nonniſi ſpectatiſſimum tandem ſibi ſumant. Mihi vero, Cardinalis Ampliſſime, ambigendum minime fuit, cuinam hoc quidquid eſt operis offerrem. Siquidem a Te meditatum, a Te inſtitutum inceptumque, nonniſi Tibi procedit ac tandem deſinet. Non injuſſa ſcribo. Tu vel in ipſo quondam forenſi ſtrepitu, vel in ipſo Romanæ Aulæ æſtu, difficillimiſque temporibus ac negotiis diſtentus atque diſtractus, Veteris Latii monumenta diligentiſſime conquiſiviſti, conquiſita laborioſiſſime in unum coegiſti, coacta nitidiſſime deſcripſiſti; tribuſque jam editis Libris, duobus Tomis comprehenſis, in magnum Veteris Latii ornamentum & literatorum Reipublicæ bonum pridem publici juris vulgando effeciſti. Eminentiſſimæ vero Dignitatis, ad quam meritorum ope es evectus, feliciſſimo impedimento prohibitus, quominus curas tuas inſtitutumque opus proſequereris, mihi has partes demandare, ut Veteris Latii Hiſtoriam dudum a te cœptam ad exitum perducerem, non es dedignatus.

1. *Horat. Sat. 6. l. 1.*

1. *Magnum hoc ego duco,*
Quod placui Tibi, qui turpi ſecernis honeſtum.

Si enim

Prin-

2. Principibus placuisse viris non ultima laus est, 2. Id. ep. 17. lib. 1.
facile Momos omnes, quorum hac nostra feracior ætas nulla umquam fuit, ridebo ac despiciam, si uno tuo calculo, dignus qui tua vestigia proximus, quamvis longo proximus intervallo, persequerer, fuerim existimatus. Porro in tuam fidem atque clientelam ut opus auctoremque operis recipias, non est quod multis Te orem; cum Patrocinii & Liberalitatis tuæ vis munificentissima utrique dudum præsto fuerit. Non enim excelsus animus tuus, quo & olim CLEMENTIS UNDECIMI Pontificis Maximi, & nuper INNOCENTII TERTIIDECIMI, & modo BENEDICTI Sanctissimi pariter TERTIIDECIMI, interioribus consiliis, maximisque negotiis interes, ades, & consulis, gravissimorum eorumdem negotiorum totque tantarumque rerum maximarum mole impeditur, (nedum obruatur) quominus literatorum hominum curas, in quibus totam ferme vel sic occupationibus districtam ætatem & ipse exegisti, scripta, studia, conatus, & quidquid tandem bonæ frugis proferunt, judicio probes, patrocinio foveas, liberalitate juves, auctoritate defendas. Quod si & alias semper ceteris Te præstitisse prædicant omnes & profitentur, mea hæc certe Veteris Latii, quæ a Te jussus persequor, monumenta, luculentissimo omnium testimonio confirmant. Quibus Hu-

Humanitatis, Liberalitatis, ac Patrocinii in me tui meritis non tantum cum aliis commune illud mihi accidit infortunium, ut me imparem omnino ſolvendo ſentiam; verum & id ſingulare ac proprium, ut laudibus tuis vel per ſumma ipſa capita curſimque recenſendis (quod unum jam reliquum erat) a præclariſſima omniumque laudum inſtar Modeſtia tua, quam ſemper unice dilexiſti, os mihi, ut ne vel hiſcere quidem de iis poſſim, obſtrui videam. Utut tamen parendum ſit mihi, laudeſque tuæ reticendæ, Lapides certe ipſi clamabunt, quos ad Veteris Latii Hiſtoriam illuſtrandam e tenebris erutos nova, ita dixerim, vita & lingua donaſti, dum illorum maxime præſidio per Te mihi comparato narrationem ſum proſecutus.

3. Horat. Od. 30. l. 3. Horum Lapidum uni in æternum grati animi 3.

Monimentum ære perennius,
Regalique ſitu Pyramidum altius;
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum,

juvat inſcribere:

4. Idem Ode 3. l. 4. 4. SI IAM DENTE MINVS MORDEOR INVIDO,
QVOD SPIRO ET PLACEO, SI PLACEO, TVVM EST.

Ita ſancte profitebar

Romæ ex Græcorum Collegio Poſtridie Kalendas Junias Anno a V. P. CIↃ IↃ CCXXV.

LE-

LECTORI BENEVOLO

Josephus Roccus Vulpius Societatis Jesu Sal.

VIGESIMUS jam annus agitur, ex quo PETRUS MARCELLINUS CORRADINUS Cardinalis Amplissimus Veteris Latii Sacri pariter ac Profani scribendam Historiam suscepit. Duas ille partes sive tomos Historiæ ejusdem tunc edidit, quas literarum cultores bonarumque artium amantes ac inprimis eruditæ antiquitatis investigatores omnes faventibus mirum in modum studiis excepere. Tertia, & quæ deinceps sequentur partes restabant: ingentemque monumentorum segetem conquisitorum undique diligentissime congesserat atque ad persequendum opus literariæ Reipublicæ apprime utile comparaverat Vir idem Clarissimus atque eruditissimus; cum gravioribus in dies curis distentus & maximorum negotiorum mole impeditus, institutum opus & jamdiu cœptum persequi minime potuit. In animum itaque induxit, alteri conficiendam ex monumentis quæ ipse dudum collecta servaret, Historiam tradere. Mihi itaque id negotii dedit, ut hanc provinciam susciperem; quam ego tanti Viri judicio fretus lubens suscepi. Qua in re, num satis expenderim, quid ferre recusent, quid valeant humeri, neque ipse satis novi, neque si norim, in eo tamen fusius exponendo diutius immorer. Ut enim scriptorum quorumdam inverecundam frontem, durissimumque os improbare consuevi qui omnia tamquam ex tripode confidentissime pronuntiant, ita aliorum quoque ineptas excusationes importunamque nimis ac fucatam modestiam ne an astutiam, dum operis quod sunt edituri rationem reddunt, minime laudem. Horum est: Se opus illud sibi studii privati atque otii causa scripsisse, verum amicorum vi assiduisque persuasionibus factum, ut publici tandem

dem juris evaderet. Legisse quamplurimos id operis, vehementerque laudasse, atque indignatos quod tenebris adhuc obvolveretur. Se quidem Vulcano Laribusque jampridem dedicavisse, verum reluctantibus, nunc dolo nunc vi ereptum evulgatumque. Hinc illis ignoscendum sin minus perpoliverint atque ad amussim direxerint, cum quale quale illud sit, in lucem edere amici praeverterint. Ita commune hoc nimium scribendi librosque edendi cacoethes amicorum pallio fere semper obvolvitur ab iis saepenumero, quibus nulli amici, quosque nemo peritur æ non parcere chartæ, religiosissimumque atque altum tota vita silentium servare non permisisset. Quid nos? Horum nihil omnino. Ut enim amicorum aliquis me ad edendam hanc Historiam verbis impulisset, is ego sum profecto qui ejus suasionibus facile occurrere paratus fuissem, Catullianum illud ingeminans:

Et scombris laxas sæpe dabunt tunicas.

Non itaque me amicorum studiis ac petitionibus adactum hanc Historiam edidisse ajo, non dolo e manibus ablatam, non vi ereptam: minime vero. Quid tandem? inquies. Id quod est. A PETRO MARCELLINO CORRADINO Cardinali Amplissimo jussus sum ut Veteris Latii Historiam persequerer. Quo quid honorificentius scriptori possit accidere, sapientum virorum erit statuere. Operis consilium est, Latii præcipuas urbes singillatim describere. hoc quidem ordine ut prioribus aliquot libris quæcumque earumdem Profana monumenta diligentissime recenseantur; posterioribus vero Sacra omnia accuratissime commemorentur. Profanum autem Latium illud appello, quod Deorum superstitione ac tenebris involutum suis ipsis sacris execrabile maxime fuit. Ritus itaque, sacrificia, sacerdotes, templa, Numina, ceteramque omnem ejusmodi superstitionem, quamvis sacrorum *vocabulo a priscis illis nuncupatam, inter Profana merito recensemus. Siquidem* Profanum *, si vocis originem spectes*, ante fanum , *sive* ante templum, *aut* extra templum, *sonat. Impia autem Deorum sacrificia, eo-*

rum-

rumque sacerdotum ministeria extra Veri Numinis cultum ac templum omnino sunt, ac proinde jure Profana. Sacra autem & vere Sacra ea omnia quæ ad Veri Numinis cultum sanctissimamque ejus religionem spectant, omnino sunt. Per Latium igitur Profanum, Latium Diis mancipatum intelliges: per Sacrum vero, Dei unius Optimi Maximi cultui dedicatum. Ceterum, quantumvis bene multi tum Latii res universas, tum singularum Latii urbium monumenta ad hoc tempus descripserint, haud inutilis tamen labor hic noster futurus est. Non actum agimus; siquidem quamplurima ceteris intacta proferimus. Veterum Lapidum ingens numerus nuper effossorum id præstat, ad quos explicandos antiquorum scriptorum quamplurimis testimoniis usi sumus, quæ lucem vicissim afferunt & accipiunt. Ne quid autem temere pronuntiarem, ea omnia quæ hic descripsi loca, & quæ adhuc extant monumenta ac rudera hisce oculis egomet vidi, eorumque accuratissimam imaginem hic exprimendam curavi. Qua in re, an operæ pretium fecerim, eruditæ antiquitatis cultorum judicium esto. In Latium itaque tendimus, & quis Latio antiquo fuerit status, exponimus. Latine autem Latinorum Historiam fuisse describendam nemo non videt, ut gens omnis quæ Latino quondam Imperio subjecta fuit, principis quondam populi vetustissima monumenta e tenebris eruta, novaque luce donata, commode lustrare posset. Sermone tamen ac stilo facili illo quidem uti placuit, verum, nisi fallor, perspicuo ac Latinitatis jure Latinaque civitate donato, non barbaro aut peregrino; nisi fortasse vocabula aliqua furtim irrepserint parum Latina; quod nusquam in his libris accidisse, non is sum qui jactare ausim. Tumens vero ac fucatum illud scribendi genus, & involutam obscuramque orationem, qua video non paucos delectari, quamque demum quidam Latinam & ornatam putant, penitus ablegavi, Livium potius quam Sallustium aut Tacitum (quoad potui) imitari professus. Cum autem e Græcis scriptoribus te-

ſtimonia multa adducere e re futurum exiſtimaverim, ea nonniſi in Latinum verſa adduxi; ut ſcilicet iis qui lecturi ſunt, ea gratiora multo ac faciliora obvenirent. In his enim quamplurimi erunt qui parum, qui ferme nihil, qui nihil omnino eam linguam calleant. Quibus profecto moroſum nimis ac injucundum accideret, in tot teſtimonia eaque longiuſcula Græce recitata idemtidem impingere. Græcæ autem ſcriptioni Latina interpretatio adjecta, in longum nimis, exigua ac ferme nulla cum utilitate, opus protraxiſſet.

Jam vero primam hujus Hiſtoriæ partem, quæ de Latio Profano univerſo agit, viginti jam ab hinc annis edidit PETRUS MARCELLINUS CORRADINUS *Cardinalis Ampliſſimus. eſtque primus ejuſdem tomus unico libro comprehenſus. Inſequenti autem anno Vir idem Clariſſimus alteram partem edidit duos libros complexam, qui ordine ſecundus & tertius fuerunt; & ſecundo quidem de Setinis, tertio vero de Circejenſibus Latii Veteris populis egit. Adſum modo ego, tertiamque partem ſive tomum affero duobus pariter libris diſtinctum; in quorum altero, qui eſt ordine quartus, de Antiatibus loquor, altero vero, nempe quinto, de Norbanis verba facio. Habes, Amice Lector, operis conſilium, habes ſummam. Reliquum eſt, ut ſtudio faveas, bonique conſulas, ac in tuam aliquid noſtro ex hoc opere utilitatem derives. Vale.*

IN-

INDEX CAPITUM.

LIBER QUARTUS.

DE ANTIATIBUS.

LIBER QUINTUS.

DE NORBANIS.

Antiqua locorum quæ in his libris deſcribuntur, nomina cum recentibus collata.

ANTIUM, *urbs olim celeberrima Veteris Latii, Volſcorum caput ad mare; diſtabat Roma 30. m. p. Circejis 36. Oſtia 20. Velitris 14. jamdiu diruta. locus hodie* Capo d'Anzo.

Aſtura, *fluvius & peninſula, ubi olim oppidulum, & villa Ciceronis; nunc parva arx cum turri; diciturque* Aſtura, Aſtora, Stura, Stora. *diſtat Neptunio 7. m. p. Circejos verſus ad mare.*

Ceno *ſive* Cerbio, *oppidulum Antiatum, olim munitum, & forum rerum venalium ad humanam vitam tolerandam. hodie multis creditur eſſe oppidum* Nettuno, *in ejus ruinis excitatum. diſtat Roma m. p. 40. ab Antio 2. ad mare.*

Ciſterna, *oppidum Latii prope Appiam viam, nunc quoque* Ciſterna *nuncupatum.*

Cloſtra Romana, *locus a Plinio commemoratus, & falſo a quibuſdam limes antiqui Imperii Romani creditus. Hodie:* Bocche del fiume Storace; *ſcilicet Nymphæi amnis impedimenta, ne ab æſtuante mari oppleretur.*

Norba, *urbs antiqui Latii, Romanorum Colonia in montibus ſupra Velitras, diruta a L. Sylla, quod Marianæ factionis eſſet. hodie ad radices ejus montis eſt oppidum* Norma *dictum.*

Nymphæus, *fluvius, lacus, templum, urbs olim in agro Norbano. Urbs & templum jamdiu diruta ſunt. Fluvio & lacui nunc nomen* Storace, *ruinis urbis & templi,* Ninfa.

Satricum, *urbs veteris Latii, quondam Colonia Antiatum, nunc diruta. Fuiſſe creditur eo loco qui nunc dicitur* Conca, *inter Neptunium & Velitras & Ciſternam.*

Sulmo, *oppidum veteris Latii exciſum ſine veſtigiis, mediterraneum in montibus ſupra Norbam, eo loco qui nunc dicitur* Sermoneta vecchia.

IN-

INDEX AUCTORUM

Quorum teſtimonia in his libris afferuntur.

Ho-

Stu-



MI-

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS

Præpositus Generalis Societatis JESU.

CUm Librum, cui titulus: *Vetus Latium. Tomus Tertius. in quo agitur de Antiatibus, & Norbanis*, a Patre Josepho Rocco Vulpio nostræ Societatis Sacerdote conscriptum aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratia, has Literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 26. Augusti 1724.

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS.

Locus ✠ sigilli.

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di revisione, ed approvazione del P. F. Ambrosio Lisotti, Inquisitore di Padova, nel Libro intitolato: *Vetus Latium Profanum. Tomus Tertius. in quo agitur de Antiatibus & Norbanis Auctore Josepho Rocco Vulpio Societatis Jesu Sacerdote*; non esser cosa alcuna contra la Santa Fede Cattolica, e parimente, per attestato del Segretario Nostro, niente contra Principi, e buoni costumi; concediamo Licenza a *Giuseppe Comino* Stampatore in Padova, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 21. Settembre 1725.

[Gio: Francesco Morosini Cav. Rif.
[Andrea Soranzo Proc. Rif.
[

Agostino Gadaldini Segret.

VE-



VETUS LATIUM PROFANUM

LIBER QUARTUS

DE ANTIATIBUS.

AUCTORE

JOSEPHO ROCCO VULPIO

SOC. JESU SACERDOTE.

CAPUT I.

De Antii origine ejusque conditoribus.



NTIUM celeberrimam Latii olim urbem Volscæ gentis quis condiderit res plane, ut in tanta temporum vetustate rerumque oblivione usuvenit, est in incerto. Siquidem Xenagoras & 1. Dionysius ab Anthia Circes filio ejus originem deducunt, ajuntque Anthiam urbi a se conditæ Antium nomen imposuisse. 2. Strabo autem Antii primordia refert ad Græcos quidem, nullum tamen ejus nominat conditorem. At Solinus Trojanæ originis extitisse commemorat, Ascaniumque Æneæ filium post patris in cælum translationem apud Numicum

1. *Lib.* 1.
2. *Lib.* 5.

A amnem,

amnem, Antium quoque una cum Alba Longa & Fidenis asserit condidisse: 3. *anno septimo Patris Indigetis*, inquit, *ei*, (nempe Æneæ) *nomen datum. deinde constitutæ ab Ascanio, Longa Alba, Fidenæ, Antium.* Xenagoræ & Dionysio suffragatur Pyrrhus Ligorius. 4. Is enim ex vetustissimis effossis lapidibus ex Antii ruinis, Antiates ad Anthejum sive Anthiam unum e tribus Circes filiis solitos suæ urbis originem referre plane demonstrat. Hinc Græcorum error exortus est putantium, duas in Latio urbes fere cognomines extitisse conditas a Græca gente, alteram quidem Anthejam, alteram vero Antion nominatas, ut tradit 5. Stephanus. Hujus tamen sententiæ inanis tantum est conjectura ex solo literæ unius discrimine perperam ducta θ scilicet in τ mutatæ, cum tamen sæpissime ejusdem rei vocabula in singulas fere ætates mutari omnino, nedum aliquantum variari quotidianus usus edoceat. Verior itaque 6. Homeri, 7. Dionysii, Xenagoræ, Ligorii, ceterorumque fere omnium historicorum sententia Antii originem ad Anthejum sive Anthiam Circes filium referentium. Quamquam enim Solinus Antii conditorem extitisse Ascanium Æneæ filium asseveret, convenire illi facile cum Xenagora & ceteris poterit, si antiquorum omnium profanorum morem Deos semper aut Semideos, aut certe Heroas Diis vel Semideis genitos generis sui auctores patriæque conditores jactantium recordemur. Non enim abhorret a vero Anthejum sive Anthiam Circes filium (quam montem mari proximo imminentem, deque ejus nomine Circejum promontorium vocatum insedisse ac incoluisse, multis ex 8. veterum fere omnium auctoritate abunde, ubi de Circejis, ostensum est) non abhorret, inquam, a vero Anthejum sive Anthiam Circes filium maritimam hanc oram patriæ proximam primum

3. *In Polyhist. de Ital. & ejus laudibus.*

4. *In Manuscriptis codicibus qui servantur in Bibliotheca Ottoboniana Romæ.*

5. *In Onomastico de Urbib.*

6. *In Odyss.*

7. *In Archæolog. Rom.*

8. *Pomp. Mela de Sit. Orb. l. 2. c. 4. Solin. in Polyhist. c. 8. de Ital. Dionys. lib. 4. Liv. Val. Max. &c.*

mum habitare cœpiſſe, caſuliſque aliquot ac tuguriis, quæ fere urbium etiam maximarum exordia eſſe ſolent, ibi conſtructis, Antii nomen dediſſe; Aſcanium deinde Albanorum Regem urbem & ab ædibus & a civibus deſtitutam, vel certe minime celebrem ac frequentem, & ſpatio dilataſſe, & mœnibus communiviſſe, &, quod eruditorum nullus addubitat, Coloniam Albanorum eo deduxiſſe, ac tot tantiſque incrementis auxiſſe, ut conditoris loco potuerit haberi. Hoc ſiquidem in more poſitum cernimus, ut qui urbem aliquam ſic reſtituerit, vel aliquam vivendi rationem pæne collapſam ipſe in uſum revocaverit, pro reſtitutore & adjutore conditor plane & fundator habeatur paſſim & nominetur. Ceterum antiquorum fere omnium morem fuiſſe gentis ſuæ originem ad Deos vel certe Diis genitos Heroas referre, vel ex ſolo Latio, quod præ manibus habemus, abunde colligi poteſt. In eo ſiquidem Præneſtini Cæculum Vulcani filium, Tuſculani Telegonum Ulyſſis & Circes, Ardeates Daunum Pilumni Regis Latinorum Numinis, Corani Æneam ſive Dardanum, Setini & Norbani Herculem, Circejenſes Circem Solis filiam, Laurentini Picum aut Latinum eorum Numina, Lavinienſes Æneam, Lanuvini Junonem, ceterique Latini populi, quos recenſet Plinius, 9. aut Æneam aut Picum aut Latinum generis ſui auctorem ſuæque urbis conditorem jactabant. Licet enim haud ignorem, alias earum urbium ab aliis conditoribus initium ſumpſiſſe affirmari a multis, quorum ſententia opportune, ubi de ſingulis agemus, erit diſcutienda, tamen apud eruditos omnes eſt in comperto, incertam illam famam divinæ originis alte populos omnes voluiſſe poſterorum mentibus infigere, qua templis iis Numinibus dedicatis, qua erectis ſtatuis, qua publicis in eorum honorem

9. *lib. 3. cap. 5.*

rem institutis ludis, qua honorificentissimis inscriptis monumentis eamdem illis semper sanctissime commendantes. Hunc itaque morem secuti Antiates Anthiam Circes filium generis sui auctorem urbisque conditorem passim jactabant. Neque vero soli Antiates duas veluti origines duosque urbis conditores sibi asseruisse putandi sunt, Anthiam videlicet & Ascanium. Fuit enim multarum in Latio urbium hic usus, ut quæ ante ab Aboriginibus, seu Pelasgis institutæ seu conditæ fuissent, tamen, quod ab Albanis Regibus vel muris cinctæ, vel amplificatæ spatio, vel civibus auctæ Coloniis eo deductis essent, Trojanorum sibi originem, a quibus Albani, libenter assererent, templaque tum Æneæ ipsi sub appellatione Indigetis Patris vel Latialis Jovis, vel Veneri ejus Genitrici dedicarent. Ascanium autem Antii vel primum vel certe illustriorem conditorem fuisse ut credamus & illud facit, quod Plinius testatur Antium antiquitus etiam Aphrodisium vocitatum esse 10. *Dein*, inquit, *quondam Aphrodisium Antium Colonia.* quod & 11. Onuphrio Panvinio Veronensi viro de re literaria optime merito jure probatur, & Pyrrho Ligorio. Hoc enim nomine hanc urbem vocatam non ab re censent, quod Ascanius, dum ejus fundamenta jaceret, Veneri patris sui Genitrici templum pariter ædificaverit Aphrodisium dictum, 12. a Veneris scilicet nomine, quæ Græcis est Ἀφροδίτη ἀπὸ τῦ ἀφρῦ, quod est *maris spuma*; siquidem, ut omnes norunt, e maris spuma natam Venerem antiqui fabulati sunt. Prudentem scilicet maxime conjecturam facere licet, Æneæ posteros hanc urbem ædificasse, cum 13. Pausanias Aphrodisium urbem Laconiæ ab Ænea constructam commemoret, dum a patria exularet, ibique eumdem templum Veneri Genitrici sacrasse, quod Lacones Veneris Aphroditis appel-

10. *Natur. Hist. lib. 3. cap. 4.*

11. *De Imper. Roman. tit. de Colon. Colonia XIV.*

12. *Additam. ad Plin. lib. 3. cap. 4. Ligor. verb. Aphrodisiũ.*

13. *Arcadic. lib. 8. pag. mihi 476.*

pellaverunt. Nec me 14. Pomponii Melæ movet auctoritas, ut credam Aphrodisium, de quo Plinius, alterum ab Antio distinctum oppidum fuisse; licet enim etiam 15. Ligorium sibi ipsi alioqui adversantem in sententiam traxerit Melæ auctoritas, ut Aphrodisium quidem ab ipso Ænea inter Antium & Laurentum loco qui nunc vulgo *la Fossa* constructum assereret, ibique etiam insignem portum ab eodem Ænea communitum, id parum refert; Æneas namque juxta Solinum, in agro Laurenti, loco qui nunc *la Fossa*, (in eo siquidem agro est is locus) Veneri Genitrici, quam Aphroditem vocarunt, simulacrum & templum dedicavit. ex quo deinde posteros locum Aphrodisium appellasse verisimile est. At hoc templum diversum omnino fuit ab eo quod Ascanius Æneæ filius patris exemplum secutus ipse quoque Veneri Gentis suæ auctori sacravit eo loco quo Antium deinde excitavit & ab Aphrodite Venere Aphrodisium templum pariter atque urbem vocari maluit. Quod mirum minime videbitur memoria repetenti, Latinos Trojanis oriundos quamplurima templa suis in urbibus Veneri dedicasse. Albæ enim Veneris Equestris templum fuit, Lavinii Veneris Genitricis, ac fere omnes Latinæ Coloniæ templum aut saltem sacellum, vel aram aliquam aut statuam Veneri consacrarunt. Itaque Pomponio Melæ optime conveniet cum Plinio, si & in agro Laurenti Aphrodisium templum ab Ænea, & intra urbis Antiatis spatium ab Ascanio Aphrodisium alterum, a quo & Antium nomen aliquando obtinuerit, constructa esse non inani fundamento innixi dicemus. Quod autem Ligorius Venerem Aphroditem aliam omnino dicit ab ea quæ ex Anchise Æneam suscepit, id falsum dubio procul duco. quamquam Ligorius idem ex Apollodori θεογονία se id hau-

14. *Lib. 2. cap. 4. de Ital.*

15. *In MSS. Ottobon.*

haufiſſe teſtetur. Cum enim Apollodorus Venerem Aphroditem illam eſſe commemoret, quæ ex maris ſpuma nata Cupidinis & Mercurii mater fuit, Venerem vero parentem Æneæ aliam ab ea fuiſſe, appellatamque tum a Cæſare Dictatore, tum ab Auguſto Genitricem, (ut in laudibus Juliæ Gentis refert Meſſala Corvinus) ejus auctoritas tanti non eſt, ut communi Latinorum & Romanorum omnium vetuſtiſſimæ famæ contrarium aſſerenti, unamque & eamdem Venerem fuiſſe teſtanti opponi poſſit, illamque de loco dejicere. Conſtans itaque apud Latinos Romanoſque & vetuſtiſſima ſemper obtinuit fama, cui & ſæpe Ligorius ipſe ſubſcribit, Aphrodiſium in agro Laurenti conſtructum nomen accepiſſe a templo Veneris Aphroditis ſive Aphrodiſiæ ibi ab Ænea in matris honorem excitato, ut ex Plinio, Mela, & aliis commemoravi. Cujus etiam ſententiæ fuit Pauſanias, immo & ipſi Proceres Juliæ Gentis, qui cum Æneam ſui generis auctorem facerent, in quodam vetuſtiſſimo nummo expreſſerunt Mercurium deducentem Venerem ad Anchiſem in Ida monte decumbentem, ut cum eo congrederetur; hancque illam ipſam Venerem fuiſſe, quam ex ſpuma natam finxit Antiquitas, nullus dubitat. Siquidem 16. Marcus Tullius Cicero in libris de Natura Deorum, quatuor fuiſſe Veneres ait; primam quidem Cælo & Die natam, cujus in Elide delubrum videbatur; alteram vero ſpuma genitam Cupidinis & Mercurii matrem; tertiam Jove natam Vulcani uxorem; quartam Syriam Syroque genitam. Ex quibus colliges Venerem ex ſpuma natam, ſcilicet Aphroditem, eamdem profecto eſſe quæ Cupidinem & Mercurium peperit, a quo deinde ad Anchiſem deducta eſt, ut nummus Juliæ Gentis luculenter teſtatur; cujus rei locupletem teſtem habes eruditum

16. Lib. 3. de Nat. Deorum.

17.

17. Rosinum in Antiquitatibus Romanis. Quænam autem vetustæ hujus famæ origo extiterit hic investigare non libet. nimis enim longum foret & implicatum fabularum omnium originem indagare. Ceterum huic tam communi Latinorum Romanorumque famæ, qua ducti nummos ejusmodi excudére Proceres Juliæ Gentis, ut fundamento minime levi lubenter adhæreo. His autem de causis Veneris Aphroditis templum Antii ab Ascanio excitatum venerabile tamdiu stetit, quamdiu profanorum antiquorum superstitio, & Deorum cultus permansit, ut in loco fusius referam, ubi de templis. His etiam accedit ad Solini asserendam sententiam locus ipse in quo Antium urbs fuit ædificata. quippe Antiates 18. a Livio & Dionysio inter Volscos recensentur, cum tamen ab iisdem inter Priscos Latinos adnumerentur. 19. Dionysius enim Ecetranos & Antiates Volscæ Gentis inter Priscos Latinos qui Tarquinio Superbo adhæserant refert. idemque repetit initio octavi libri. quod & de Veliternis, Gabinis, & Coranis verum est dicere; qui quamquam Volsci nominis essent, Latinorum tamen concilio Ferentini indicto intererant, quod eos in Latinorum Priscorum numerum nomen ac jura asserebat, eorumque urbes Latinorum & Albanorum Regum Colonias extitisse. Ex quibus conficitur Antiates ideo inter Priscorum Latinorum populos recensitos, quia eorum urbs vel ab Albanis fuerit Regibus condita, vel certe mœnibus aucta, & colonia Albanorum eodem deducta. Itaque si vetustissimæ Antiatum famæ fidem habemus, Anthias Circes filius Antii conditor fuit, generisque Antiatis primus auctor. Si vero historicorum verisimiliori narrationi attendimus, Antium urbem Ascanius Æneæ filius anno septimo post patris in cælum raptum, (ut credula superstitio jactabat,

17. *Lib. 2. cap. 10. pag. mihi 176.*


18. *Liv. lib. 2. Dionys. l. 6.*

19. *Lib. 4.*

bat,) a fundamentis excitavit. quibus sententiis quanam ratione commode convenire possit, quod superius jam ostenderim, hic repetere ut supervacaneum relinquo, atque ad Colonias Antium sæpe deductas commemorandas gradum facio.

CAPUT II.

De Coloniis Antium deductis.



NTIUM Albanorum Coloniam primum extitisse vix est qui dubitet. Sive enim Ascanius Æneæ filius Albæ conditor Albanorumque primus Rex Antium primum condiderit, sive eam urbem ab Anthia Circes filio excitatam populo destitutam & infrequentem civibus auxerit, id non nisi ex Albanis fecisse pronum est judicare. Hic enim mos tum Ascanii ipsius, tum ceterorum Regum Albanorum fuit, quem postea Romani sunt imitati, ut in ea oppida quæ vel bello caperent, vel de novo excitarent, manipulum Albanorum civium ad ea incolenda dimitterent, ut imperium ditionemque Albani nominis in dies amplificarent, devictosque populos suorum præsidio imposito in officio retinerent, & conjugia commiscendo unus omnino populus & gens una sensim evaderent; quo ad diuturnitatem imperii confirmandam concordiæque vinculum stabiliendum nihil est aptius. At quonam tempore, & a quibus Latina primum Colonia, deinceps Romana, eaque sæpius, Antium deducta fuerit, juvat paulo altius repetere, atque hic, ut in loco, bella quæ in singulos ferme annos cum Romanis Antiates renovarunt, cursim ex probatissimis historicis Dionysio & Livio recensere;

un-

unde & historiæ nostræ magnum lumen affulgeat, & qua occasione identidem renovata a Romanis sit hæc Colonia, patefiat. Cum itaque Tarquinius Superbus Romanorum Regum ultimus fretus 1. cognatione Mamilii Tusculanorum principis in concilio Ferentino Latinæ gentis imperio potitus esset, dolo malo, & Turno Herdonio per fraudem sublato, inito fœdere cum Latinis, legatos misit ad Volscos & Hernicos, qui eorum societatem expeterent. Ceteris autem bellum Romano indicentibus, Antiates tantum & Ecetrani, qui Volsci nominis populi inter Latinos Priscos numerabantur, fœdus inierunt. Tarquinius itaque movit in Volscos, direptaque Suessa Pometia, quam Pometini incolebant, ingentique auri atque argenti præda parta, ex qua Jovis Capitolini templum extruxit & exornavit, id egit ut, licet privatus Romanorum & Latinorum imperio postea esset, Volscorum bellum tamen Romanis intactum relinqueret. Quo bello Volscorum urbes fere omnes aut direptæ aut captæ sunt a Romanis. Inter hæc Antiates A. Virginio Tricosto & T. Veturio Coss. societatem iniere cum reliquis Volscis, commissaque cum Romanis pugna ad Velitras fugati sunt. 2. Sp. Cassio & Posth. Cominio Coss. icto fœdere Latinos inter & Romanos, additoque Latinis feriis die tertio, Cominius Consul Volscorum reliquias insecutus Antiates fugavit & ad Longulam usque persecutus est; qua simul & Polusca expugnatis Coriolos urbem nobilem ac totius fere Volsci nominis principem adortus est. Antiates itaque manu magna Coriolanis auxilio venerunt, adeoque strenue oppidani urbem defenderunt, ut mulieres ipsæ virilia ausæ hostem telis e tectis passim impeterent. 3. Caji Marcii tamen, cui exinde Coriolanus cognomen fuit, eximia fortitudine pugnandique auda-

1. Dionys. l. 4. Liv. l. 2.

2. Liv. l. 2. Dionys. l. 6.

3. Iidem ibidem.


cia exterritæ fusæ sunt Antiatum legiones, & capti Corioli, receptique in deditionem populi Romani. Jam vero, T. Geganio & P. Minucio Coss. 4. C. Marcius annonæ caritate Romæ sæviente, Antiatem agrum depopulatus est abacta inde magna agricolarum pecorisque præda. quem Antiates ulturi legatos Gelonis tyranni Siculi ingentem vim frumenti Romam onerariis navibus comportantes, subornato navigio interceperunt, cum non longe ab eorum portu anchoras jecissent, direptisque eorum rebus hostiliter, ipsos in carcerem conjecerunt. His Romæ auditis, Senatus omnes belli vires in Antiates convertendas decrevit. Satis tamen Antiatibus fuit hostilem apparatum procul intueri; 5. timentes siquidem excidium Siculorum & res & corpora repetentibus reddiderunt. Post hæc M. Minucio & A. Sempronio Atratino Coss. C. Marcius Coriolanus a plebe perduellionis damnatus absens in Volscos exulatum abiit, licet sibi maxime infensos ob recens ab ipso acceptas clades; minus miserabile censens ab hoste perire, quam a cive. Antium itaque petiit, ac nocte intempesta ad domum Actii sive Accii Tullii, vel Tullii Aufidii, ut mavult Plutarchus 6. in Coriolano, se contulit. Cœnabat is tunc forte prope lares, cumque genere, opibus, rerumque gestarum gloria Volscis omnibus antecelleret, a Coriolano rerum suarum miserabili narratione adeo est commotus, ut communi consilio communes injurias Romanorum ulciscendi in sententiam nullo negotio fuerit adductus. Ludi tunc forte Romæ indicti magnam Volscorum multitudinem abs Tullio auctam de industria adduxerunt. Adfuit ipse Tullius, consiliumque Coriolani secutus ad Consules adit, Volscosque in tanta multitudine Romam advenisse seditionem inter ludorum celebritatem excitaturos facile persuadet;

4. Plutarch. in Coriol. Liv. l. 2.

5. Dionys. lib. 7.

6. Plutarch. in Coriol. Liv. Dion. ubi supra.

ANTIQUÆ URBIS ANTJI QUÆ ADHUC VISUNTUR RUINÆ. Tab. I.



A. Vetustæ arcis ad præſidium portûs veſtigia. B. Vetusti templi rudera. C. Antium Promontorium, nunc = Capo d'Anzo = incolis autem = l'Arco muto = dictum. D. Moles antiqui portûs. E. Antiquum cymbarum receptaculum. F. Ora ſiue littus Latinum. G. Mare Mediterraneum

det; ſtatimque Senatuſconſulto Volſci ad unum omnes maxima cum ignominia Urbe expulſi ſunt. Qui rei indignitate vehementer commoti Tullio ad caput Ferentini prægreſſo obvii cujuſque animum acrius ad iram ſtimulante, vix in patriam pervenerant, tam probroſum dedecus deleturi, totius Volſcæ gentis nomine Romanis bellum indicunt. Communi conſilio C. Marcius Coriolanus & Accius Tullius Aufidius Antias Imperatores electi, ingenti ac robuſtiſſimo exercitu coacto, omnes fere Latinas urbes fœderatas & amicas Romanis partim vi cepere, partim diripuére, partim in deditionem recepere. 7. Re deinde tam proſpere geſta, Coriolanus, Pedo expugnato, ad Urbem propius cum exercitu acceſſit, conſtituitque caſtra ad Foſſas Cluilias, quinto ab Urbe lapide. Romanum agrum diu noctuque palantibus manipulis depopulatus, miſſis inter populatores qui cognitos ſibi Patriciorum agros a populatione cuſtodirent, lacrimis tandem Veturiæ matris placatus legiones ex agro Romano abduxit. At maternus hic amor magno illi ſtetit. Siquidem ab Accio Tullio inſidiis exceptus juſſus eſt abdicare imperio; cumque rei geſtæ ipſe rationem convocato ad concionem populo in medio Antii foro potentiam Tullii metuens reddere vellet, ab quibuſdam ex compoſito proditionem ſibi exprobrantibus prohibitus eſt exaudiri. Surgentem autem illum & auctoritate popularem tumultum prope compeſcentem veritus Tullius ne ſedaret omnino, ab audaciſſimo quoque factionis ſuæ interfici juſſit, ſive gladiis trucidatum, ſive lapidibus obrutum, ut alii aliter rem narrant. Pœnitentia poſtmodum indigni ſceleris perculſis Antiatum animis, & principum vicinorum oppidorum Volſci nominis, qui huic concilio Antii habito adſuerant, defuncti corpus honorificentiſſi-

7. Dionyſ. lib. 8.

me extulerunt, monumentumque illuſtre illi erexerunt in medio Antii foro eodem loco quo ceciderat; 8. quod, ut bellatoris & Imperatoris inſignis, armis & manubiis exornarunt.

8. Dionyſ. lib. 4. & 8. Plutarch. in Coriol.

Sequenti anno, Cajo Aquilio & T. Sicinio Coſs. Tullius tanti ſceleris meritas pœnas luit. Sicinius enim adverſus Tullium Antiatum & reliquorum Volſcorum Imperatorem miſſus in Veliternum agrum, ubi Tullius caſtra poſuerat invaſit; ibique in ſcrupeo ac prærupto tumulo, equitatui ſatis iniquo loco, commiſſa pugna, æquo primum Marte certatum eſt. Romani tamen foſſis deciſa ſilva repletis æquiorem ſibi campum effecerunt. Quos cum Tullius ſuperiori jam loco ſibi imminentes cerneret, hac illac diſcurrens ſuoſque ad rem fortiter gerendam accendens trepidoſque exemplo confirmans, poſtquam acriter pugnaviſſet feſſus tandem graviſſimis vulneribus confectus occubuit. Tum vero caſtris Volſcorum expugnatis, fugatiſque Antiatibus præclarum 9. Sicinius retulit triumphum. Quatuor deinde ferme annorum induciæ fuerunt. mox, Ap. Claudio & T. Quintio Coſſ. denuo cum Volſcis bellum a Romanis eſt renovatum, Claudio ipſos in Volſcos exercitum educente; verum ob inteſtina plebis in patres odia ac ſingillatim in Claudium, Romani non expectato Volſcorum impetu terga verterunt. Antiates tamen ſucceſſu lætos paulo poſt Numicius Conſul adortus agrumque depopulatus primo prœlio fudit, coegitque illos intra Antium ſe recipere. quam urbem opulentiſſimam ac munitiſſimam & potentem oppugnare Conſul non eſt auſus, ſed cum toto exercitu Cenonem oppidulum maritimum, quod Antiatibus erat ſimul navale & forum rerum venalium ad victum pertinentium, aggreſſus eſt, illudque captum magna præ-

9. Dionyſ. lib. 8. & 10. M. A. Sabell. Ennead. 3. lib. 1.

da

da abducta, ac navibus longis viginti duabus aliisque navium armamentis inde asportatis diripuit 10. soloque æquavit, navalia ædesque incendit, ne amplius Antiatibus usui essent. Proximis Kalendis Januariis, creatis Consulibus T. Quintio Capitolino & Q. Servilio, Antiates maximam cladem acceperunt, quæ recipiendæ demum ab Romanis Coloniæ anno insequenti occasionem præbuit. Quintius enim in Volscos expeditionem suscepit, & dum Volsci Romana castra aggredi tentarent, nec tamen se eorum multitudini & robori pares sentirent, repente trepidatione quadam correpti terga dedere, ac in ea fuga castra amiserunt, ipsamque celeberrimam urbem Antium post paucorum dierum obsidionem nullo oppugnantium novo impetu facto. 11. Urbe itaque T. Quintius potitus est, anno Urbis Conditæ ducentesimo octogesimo quinto (quamquam alii memorent urbem a Quintio vi captam) imperatoque stipendio ac ceteris quibus opus erat exercitui, impositoque Romanorum præsidio Romam reversus de Antiatibus Volscisque triumphavit.

10. *Dionys. lib. 8. Liv. l. 2. Diodor. Sicul. l. 11.*

11. *Liv. l. 2. Sigon. ad Liv. lib. 27. Dionys. l. 9. Frontin. Stratagem. l. 3. cap. 1.*

12. Sequenti itaque anno, qui fuit Urbis Conditæ CCLXXXVI. Tito Æmilio & Q. Fabio Coss. Senatusconsulto decretum est, ut Antium Colonia deduceretur, permissumque Latinis & Hernicis Coloniæ adscribi, agrosque inter se dividere. ad quos dividendos creati Triumviri T. Quintius, qui Antiates vicerat, A. Virginius, & P. Furius. qui parte quadam agri Antiatibus relicta, reliquum novis colonis diviserunt. Deinde, quia ab Latinis Romam propere nuntiatum est, anno vix elapso a Colonia deducta, Æquos ad bellum in Romanos sollicitare Antiates, hique non diu in fide populi Romani mansuri viderentur, novum præsidium ad Antiates missum; eoque aucta Colonia.

12. *Dionys. Liv. ubi sup.*

At-

Atque hoc anno primum Colonia Antium ab Romanis deducta est. quam tamen multi ac præcipue 13. Panvinius non Romanorum sed Latinorum Coloniam appellant; quod nempe Latini Hernicique illi nomina dare permissi sunt, renuente plebe Romana huic novæ Coloniæ adscribi, cum ejus deductio in ea tempora incidisset quibus maxime patrum & plebis dissidia Romæ fervebant, plebsque non beneficii loco sed exilii putaret se Roma in Coloniam abduci; nec Antiatum sed Romanum sibi agrum dividi singulis pæne concionibus ardentissime postularet. Jure itaque quis diceret Antium hoc anno Coloniam Latinam Hernicamque ab Romanis deductam. Ceterum Romanorum quoque Colonia eo deducta est a Cajo Mænio Consule, devictis iterum Antiatibus, qui in fide numquam permanserant, ut infra commemorabo. nunc ad inceptam bellorum narrationem revertor.

13. Lib. 3. de Imp. Roman. tit. de Colon.

A. itaque Posthumio & Sp. Furio Coss. in suspicionem cecidit hæc Colonia defectionis a Romanis. magna namque vis Latinorum, cum oppidum captum esset, ad Æquos confugerat, factisque apud Æquos stipendiis Antium redierat, colonosque jam sponte novarum rerum cupidos ad defectionem sollicitaverat. Nuntiatum igitur in Senatum, defectionem parari, datumque Consulibus negotium ut principibus Coloniæ Romam accitis de re ex illis cognoscerent; qui cum ambigua satis responsa dedissent, aucta suspicione dimissi sunt. 14. Cum Æquis interim dimicatum a Furio Consule. Cumque is ab hoste intra castra obsideretur, prope Algidum a Quintio proconsulari imperio eodem dimisso, fugatis hostibus, liberatus est. Interea tamen, dum obsidebatur Furius, ab Senatu Latinis Hernicisque & colonis Antiatibus subitarii milites imperati.

14. Liv. l. 3.

La-

Latinis autem Hernicisque propere mandata facientibus, Antiates distulere. Unde, reverso Romam Quintio, cohortes Latinæ Hernicæque ab Senatu, gratiis ob impigram militiam actis, remissæ domos: 15. Antium vero mille milites, qui serum auxilium post prœlium venerant, prope cum ignominia dimissi sunt. Verum, sicuti Volscorum bellum cum Romanis annuum ferme erat, ita & Antiatum defectiones. Quippe, 16. Q. Fabio & L. Cornelio Coss. cum Volscorum legiones ad Antium convenissent, defecissentque coloni; Fabio, ut Antium legiones duceret, datum est; eoque Antium profecto cum exercitu, cum Volsci expectantes ab Æquis auxiliares copias dimicare nollent, Consul tres separatim acies, Latinorum, Romanorum, ac Hernicorum instruxit, castraque hostium circumvenit; magnaque cæde facta, hostes fugavit. ac prope exercitum delevisset, ni fugientes silvæ texissent. Interea dum hæc Antii geruntur, Æqui robore juventutis præmisso, arcem Tusculanam noctu ex improviso ceperunt. Cujus rei nuntium Romam celeriter, ab Roma in castra Antium perlatum compulit Fabium Consulem castra movere ab Antio. Tusculana tamen arce recepta, Antium reversus esset, nisi consulatu cedere, elapso jam anno debuisset. Creato itaque in ejus locum Lucio Cornelio, hic contra Antiates totam belli vim convertit, ac excisis primum toto agro arbustis, demum fossa & vallo urbe cincta, scalas mœnibus admovit, portisque ariete disjectis, vi in oppidum penetravit. 17. ubi quidquid auri, argenti, æris, facti infective ac pecuniæ fuit, in ærarium deferri, captivosque sub hasta venumire a Quæstoribus imperavit: 18. mox præcipuos tum colonorum, tum veterum Antiatum defectionis auctores, quorum magnus

15. *Dionys. lib. 9.*

16. *Dionys. l. 10.*

17. *Liv. Dionys. ut sup.*

18. *Fasti Capitolini.*

gnus erat numerus, virgis aliquamdiu publice cæsos capite plecti jussit.

Hac clade jam fracti Antiates a bellis aliquot annos abstinuerunt. donec, Cn. Cornelio & L. Furio Coss. Volsci iterum ad Antium summa vi & apparatu bellum instauraverunt, ibique disposito omnium populorum juventutis robore, castrisque omni præsidio firmatis ultimum Romanis minitabantur excidium. Dictator itaque Romæ, ut in re trepida, dictus est P. Cornelius, qui levi prœlio hostes intra Antii mœnia compulit, agrumque circa omnem est depopulatus. Tribunis deinde militum Romæ consulari potestate creatis, ingens Volscorum reliquorum, Antiatum, & Latinorum, qui sese Volscis adjunxerant, exercitus apud Satricum prope Antium consedit. contra quem missus C. Camillus. Hic cum Romanorum legiones trepido quodam pavore correptas cerneret, memorandum facinus ausus arreptum manu signiferum in medium Volscorum & Latinorum confertum agmen vi traxit. puduitque ceteros non sequi ducem. irruentem itaque in hostem clamore in cælum sublato Romani tantum impetum fecerunt, ut disturbatis ejus ordinibus primum fuderint Antiates, ingenti mox oborta procella, quæ reliquum pugnæ pariter & victoriæ tunc præripuit. His gestis, nocte jam media Latini Hernicique relictis Volscis, domos profecti sunt. Quo comperto, Volsci cum Antiatibus, relictis castris, mœnibus se Satrici receperunt. At Camillus eos vallo & aggeribus circumdare machinisque & tormentis oppugnare cœpit. ingentique militum alacritate mœnia undique aggressus, scalis muro applicatis, oppidum cepit. Inde animo volvens, frustra hæc omnia fieri, frustra prospere hæc gesta esse, ni Antiates tam diutur-

ni

ni belli gliſcentem ſemper originem internecione deleret, ad Antii ruinam ultimumque excidium habendum curas omnes intendit. Verum, cum urbem tam validam tamque potentem rebuſque ac præſidiis omnibus ad extrema quæque toleranda inſtructam, ſatis perpenderet, longe majori, quam, quo tunc ipſe pollebat, apparatu oppugnandam eſſe, Romam reverſus eſt, ut ſenatoribus omnibus vim belli ad Antii excidionem convertendam eſſe, perſuaderet; 19. obtinuiſſetque nullo negotio ejus ſententia apud Senatum tam frequentibus Antiatum defectionibus laceſſitum, & exaſperatum, niſi Antiatibus arridens fortuna, Etruſco jam parato apud Romanos bello, impendentem illis ruinam avertiſſet. Præneſte poſtmodum expugnato a T. Quintio Dictatore, ſequenti anno, Præneſtini, adjunctis ſibi Latinis populis, defecerunt abs Romanis; junctiſque ſibi etiam Volſcorum legionibus bis cum Valerio & Æmilio Tribunis militum ad Satricum pugnaverunt. 20. altero tamen prœlio fuſi caſtra amiſerunt. quod & in cauſa fuit, cur Antiates, qui & ipſi cum Præneſtinis adverſus Romanos dimicaverant, urbem & agros Romanis in deditionem tradiderint.

19. *Liv. l. 6. Front. Strategem. l. 2. c. 8. exempl. 4. Plutarch. in Camill. Diodor. Sicul. l. 14.*

20. *Liv. l. 6.*

M. Popilio Lenate & L. Cornelio Scipione Coſſ. accidit, ut Antiates a Gallis & Græcorum prædonibus infeſtarentur. Galli namque a Popilio in Monte Albano inſigni prœlio fuſi hiemis vim non ferentes ex Albanis montibus deſcendentes maritima loca, & præcipue Antiatem oram, vagi populabantur. Græci quoque ſimiles agebant prædas levibuſque idemtidem prœliis Græci cum Gallis, Antiates cum utriſque æquo fere Marte certabant. 21. Cum tandem a L. Furio Camillo Conſule & L. Pinario Natta Prætore maritimam oram tuentibus tam Græci quam Galli fugati pulſique ſunt.

21. *Liv. l. 7. A. Gell. l. 9. cap. 11. Eutrop. l. 3. Val. Max. lib. 3. cap. 2. Auctor de vir. illuſtr. cap. 29.*

Succeſſere M. Popilius & M. Valerius Corvus Coſſ. quo anno Satricum a Latinis dirutum Antiates reædificarunt, eoque ſuorum Coloniam deduxerunt, tamquam tutum eorum propugnaculum. Eodemque Valerio ſecundum Conſule, Latinorum legati Romam in Senatum detulerunt, Antiates Latinorum urbes circumire, earumque populos ad defectionem concitare. Senatus igitur hoſtium vires, antequam creſcerent, opprimendas ratus, Valerium juſſit movere in Antiates. Valerius Satricum infeſto exercitu pergens Volſcos Antiateſque ſibi occurrentes prœlio fudit, ac intra urbem fugavit, urbemque ipſam corona ſtatim cinxit; & cum jam ſcalis admotis in proximo eſſet, ut fœde diriperetur, hoſtes ad quatuor millia ſe Conſuli dediderunt, Satricumque iterum dirutum fuit, atque incenſum, una Matutæ matris æde ab ruina & incendio ſervata. 22. Præda omnis militibus data. Antiatum Satricanorumque quatuor millia ab Conſule ante currum in triumphum ducti, illiſque mox divenditis ingens ſumma in ærarium redacta. Tot tamque ingentes clades, quæ ſtrenuum quemque ac bellatorem populum fregiſſent omnino, Martiales Antiatum animos adeo non dejiciebant, ut alacriores potius & robuſtiores animo certe, ſin minus viribus, ad nova ſemper bella inſtauranda ex unaquaque accepta clade redirent. C. itaque Plautio & L. Æmilio Coſſ. poſtquam Plautius Privernates domuit, ad Satricum in Antiates duxit exercitum, ubi magna utrimque cæde facta prœlium adeo atrox fuit, ut tempeſtas eos, neutro inclinata ſpe, dimicantes dirimeret. Poſtera die recenſentes Volſci, quot ſuorum amiſiſſent, ut cognoverunt illorum plurimos deſiderari, noctu trepido agmine, ſauciis ac parte impedimentorum relicta Antium non ſecus ac victi abie-

22. Liv. l. 7. Pigh. Annal. l. 4. ad ann. 407.

abierunt. Consul magnam armorum vim inter Antiatum & Volscorum cæsa corpora repertam Luæ matri dicare se dixit, finesque Volscorum ad mare depopulatus Romam recessit. 23. Interea Antiates Ardeatinum & Ostiensem agrum ferro & igni vastantes a L. Papirio Crasso compulsi fugatique intra mœnia sese continuerunt.

23. Liv. ubi sup.

Jam vero, anno ab Urbe Condita quadringentesimo decimo quinto L. Furio Camillo & C. Mænio Coss. Mænius Latinis devictis, in Antiates jam armatos, quibus insuper Lavinii, Veliterni, & Aricini se adjunxerant, exercitum duxit. Cumque illos ex improviso esset adortus, ad Asturam amnem fudit fugavitque, ac Antium in deditionem recepit, vel, ut alii prodiderunt, vi expugnavit. Cujus victoriæ nuntio in Senatum perlato senatorum quisque primus ac sapientissimus in eam ivit sententiam, ut Antiatum urbs & civitas, quæ toties ab populi Romani fide desciverat, funditus deleretur, soloque æquaretur. Vicit tamen Furii Consulis sententia, quæ novam Coloniam, eamque Romanorum, Antium deduci sentiebat. 24. Deducta est itaque hoc anno Antium nova Colonia, permissumque Antiatibus Romanis civibus adscribi, si vellent, multisque eorum civitas data. Ob hoc a Censoribus Publio Philone & Sp. Posthumio in duas novas tribus, quicumque ex Antiatibus aliisque Latinis populis civitate donati fuerant, relati sunt, 25. quarum alteri quidem Mæcia, alteri Scaptia tribus nomen impositum.

24. Liv. l. 8. Sigon. de vet. jur. Ital. l. 2. c. 3.

25. Panvin. l. 3. descrip. Imp. Rom. ubi de Coloniis.

Verum, quia neque hæc ad Antiates in officio continendos eorumque ingenium novarum semper rerum cupidum & ad defectionem maxime pronum cohibendum satis futura videbantur, ex Senatusconsulto An-

tiatibus mari interdictum eſt, naveſque longæ ab Antiati portu remotæ, quas inter ſex præcipue roſtratæ, quarum æneis roſtris ſuggeſtum extructum in foro Romano adornatumque eſt, Roſtraque id templum appellatum. roſtraque illa C. Mænius ipſe in ſuggeſtu fori affixit, eoque loco oratores cauſas egerunt longo tempore, unde & *pro roſtris dicere*, emanavit. Civitas autem data Antiatibus, ut aliquo tam egregie mulctatis ſolatio eſſet, neve in deſperationem a tot cladibus adducti ad extrema quæque audenda concitarentur.

26. Liv. l. 8. Vell. lib. 2. Eutrop. l. 2. Plin. l. 34. cap. 5. Flor. l. 1. cap. 11.

26. Florus captam vi Antiatum claſſem innuit: nam *extant*, inquit, *et parta de Antio ſpolia, quæ Mænius in ſuggeſtu fori, capta hoſtium claſſe, ſuffixit; ſi tamen illa claſſis: nam ſex fuere roſtratæ, ſed hic numerus illis initiis navale bellum fuit*. Ex ſex tamen roſtratis tantum minime evincitur, totam claſſem ex illis confectam, cum non abhorreat a vero, multas in portu Antiati, utpote opulentiſſimo, alias naves extitiſſe, ſed ſine roſtris.

27. Plin. ubi ſup. Cluv. Ital. antiq. l. 3. Faſti Capitol.

27. Ceterum Mænius Conſul de Antiatibus triumphavit, ſuique triumphi perenne in Capitolinis Faſtis monumentum reliquit hac inſcriptione:

C. MAENIVS P. F. P. N. COS.
DE ANTIATIBVS LAVINEIS VELITERNEIS
PRIDIE K. OCT. ANNO CDXV

Hac itaque occaſione Antium ſecundo a Romanis Colonia deducta, Romanaque civitate Antiates donati.

Anno autem Urbis Conditæ CDXXXVII. Antiates qui ſine legibus certiſque magiſtratibus agere querebantur, ab Senatu patronos ad jura Coloniæ ipſius ſtatuenda impetrarunt. Aucti deinde ſunt a populo Romano ſingulari beneficio. 28. Siquidem, bello Punico,

28. Liv. lib. 27.

cum,

cum, Annibale irruente, plures Coloniæ petiissent exemptionem, quam in deductionem obtinuerant, Antio Cestiaque exceptis, quibus Senatus propter merita indulsit, id ceteris negatum fuit. Civili postea bello coorto inter Cajum Marium & Lucium Sullam, Antiatum Colonia, quod Sullanæ factionis fuerat, a Cajo Mario pæne deleta est. 29. Capta siquidem, immo potius tradita sibi a proditoribus quibusdam civibus urbe, fere reliquos omnes cives solis proditoribus parcens internecione delevit. ne quid commeatus a mari vel secundo flumine in urbem deferretur interdixit. Ædificia publica funditus solo æquavit. agrumque omnem circa depopulatus ad summam rerum 30. omnium inopiam exiguas colonorum reliquias redegit. jacuitque hæc urbs fere a populo destituta usque ad Neroniana tempora. Nero enim patriæ suæ gratiam aliquam relaturus (Antii siquidem natus est Nero Imperator, ut notum est, atque in loco dicam) eo Coloniam tertio deduxit, adscriptis illi veteranis e Prætorio, additisque per domicilii translationem ditissimis primipilaribus. 31. Quamvis enim Romanis usitatum non esset in eam Coloniam quæ semel auspicato deducta erat, Coloniam novam inducere, attamen, ubi casu aliquo diminuta vel exhausta reperiretur, novos colonos illi adscribere iterum consueverunt. Quod in Coloniis militaribus maxime obtinuit. Cum enim L. Sulla, bello civili sæviente, milites suos emeritos remuneraturus quamplurimas deduxisset Colonias, quæ jam deductæ fuerant, Cæsar Augustus & successores fere omnes Sullæ factum tamquam egregium imitandumque exemplum secuti sunt. Deductam vero hanc ab Nerone Coloniam comperi ex legione quarta Italica, quod patet ex nummo tunc cuso, quo legitur: 32. *Col. Antiat. Legion.*

29. *Panvin. lib. 3. de Colon.*

30. *Appian. l. 1. Bellor. Civil.*

31. *Tacit. Annal. l. 14. cap. 27.*

32. *Goltz. Thesaur. Harduin. de nummis popul. & urb. pag. 55.*

gion. IV. Italica. His ductus refert Ligorius hanc Coloniam Neronianam appellatam: nullum tamen hujus appellationis testimonium profert. Si enim Neronianum nummum consideras, contrarium potius ille ostendit. non enim ibi *Neroniana*, sed *Antiat. Colonia* inscribitur. Cum tamen Ligorius quæcumque profert, ea ex inscriptis lapidibus antiquissimisque defossis cippis proferre consueverit, non omnem illi fidem obnegaverim, cum multa illum in hanc sententiam adducere potuerint, ex quibus non levem licet facere conjecturam, hanc Coloniam Neronianam appellatam. Neronis in primis superbia, qui Antii natus patriæ simul sibique famam aucturus Coloniam a se deductam suo nomine appellaverit, facile persuadet. Antiatum deinde assentationes, qui Imperatori gratificaturi in lapidibus Neronianæ Coloniæ nomen passim insculpserint, etiam huic rei non modicum addunt pondus. quod maxime augetur ex C. Suetonii testimonio, qui in Nerone sic inquit: 33. *Multis rebus ac locis, vetere appellatione detracta, novam ex suo nomine induxit. mensem quoque Aprilem Neroneum ac Romam Neropolim nuncupavit.*

33. *Sueton. in Nerone.*

Addit Ligorius Antium rursus Coloniam deductam ab Imperatoribus M. Aurelio Commodo, L. Septimio Severo, Vespasiano, & Severo Alexandro, idque ex aquæductibus nuper effossis confirmat. Siquidem illorum aliqui ita inscripti sunt:

STATIO VRBANA.
M. AVRELIVS.

aliqui vero:

IMP: AVG: VESPASIANI.
STATIO VRBANA AVG:

id-

idque, commemorat, inquit Ligorius, etiam Herodianus 34. qui narrat hunc Imperatorem Antii civilibus negotiis intentum jus dixiſſe. Ex quibus conficit idem Ligorius, Antium Commodianam & Severianam Coloniam appellatam. At, pace ipſius dixerim, levi nimium fundamento ductus hæc tradit. Quamquam enim haud abnuerim ab aſſentatoribus Commodi & Severi ipſis imperantibus, & id maxime expetentibus Antium Commodianam & Severianam Coloniam appellatam; aſſentiri tamen non poſſum ſententiæ quæ Antium ab his iterum Coloniam deductam aſſeverat; cum nullum hujuſce rei in tota antiquitate veſtigium appareat. Nam, quod ſpectat ad nuper effoſſos aquæductus, exprimunt illi quidem, ſe ætate M. Aurelii Commodi Imperatoris juſſuque ejus conſtructos, non tamen ab illo Antium deductam Coloniam indicant. 35. Inſcriptio autem Stationis Urbanæ referri optime poteſt honori qui ab Imperatoribus haberi conſueverat militibus Imperatoris ipſius corpus cuſtodientibus, vel de Republica optime meritis, ut ſcilicet Stationis Urbanæ Prætorii, vel Prætoriani appellarentur, paſſimque lapidibus inſcriberentur. Ex hoc itaque Veſpaſiani aquæductus minime tamquam teſtimonium Coloniæ ab eo Antium deductæ adhiberi poteſt. Neque Herodiani auctoritas id evincit de Alexandro Severo. is enim auctor hoc tantum tradit, Alexandrum Severum circum maritimas Campaniæ oras agitaſſe, & Antii jus dixiſſe. at Coloniam ab eo Antium deductam non commemorat.

34. Lib. 3. Hiſtor. in Alex. Severo.

35. Ligor. Gruter. Occo & alii.

Ceterum Commodianam a Commodo ac Severianam a L. Septimio Severo appellatam hanc Coloniam facile mihi perſuaſerim. Scimus enim horum Imperatorum utrumque Colonias omnes, templa ac Numina

na ſuo nomine voluiſſe appellari, Commodiana ſcilicet & Severiana; aſſentatoreſque repertos, qui imperata facerent. quæ illorum temporum fuit iniquitas. Commodus utique retulit ad Senatum de Commodiana facienda Roma, reſponſumque a Senatu eſt per ſummam aſſentationem non modo Romam Commodianam, ſed & ipſum Senatum Commodianum appellaturos: Commodumque ipſum Commodianum Herculem appellavit. Hic idem Imperator cum feras Lanuvii in Amphitheatro occidiſſet, Commodianus & Romanus Hercules eſt appellatus. nummi quoque excuſi, 36. in quibus Commodus ſub Herculis effigie leonis exuviis & clava armatus exprimitur, cum inſcriptione:

36. *apud. Occonë pag. 327.*

HERCVLI COMMODIANO P. M.
TRIB: POT. XVI: COS. VI

Quin etiam & Carthaginem Commodianam Coloniam, & Aurelianam Commodianam Piam Felicem ab ipſo appellatas in pluribus nummis legitur. 37. additque Lampridius eumdem Carthaginem Alexandriam Commodam Togatam, claſſemque Africanam Herculeam Commodianam appellaſſe; *& quidem ridicule*, inquit Lampridius, *quoniam hanc urbem Coloniam non deduxerat*. Deducta autem fuerat a Graccho, deinde & majore fama a Cæſare Dictatore. Unde vero propius quis exiſtimaverit Antium quoque, licet novam Coloniam illo minime deduxiſſet, a Commodo Commodianam Coloniam appellatam, cum & illam in deliciis habuerit Commodus, & tam impotens nomen ſuum rebus omnibus tribuendi, deque illo eas appellandi, eidem libido fuerit.

37. *Harduinus ubi ſup. pag. 116. & Lamprid.*

Quod & L. Septimium Severum factitaſſe cogno-

vi-

vimus, qui Berytum, Seleuciam, aliasque Colonias Severianas 38. appellavit, unde & de Antio idem fecisse non improbaverim. Hæc tamen nomina, utpote quæ per vim extorquerentur ab invitis, vel certe per summam tantum assentationem imponerentur, cum ipsis quibus Romanus populus assentabatur, desiisse pro certo habeo. præcipue cum posteri majorum semper titulis ac famæ invidentes suum nomen in majorum suorum titulos passim sufficerent. Coloniam tamen ab his Imperatoribus Antium deductam cum nulla id auctoritate possim confirmare, dixisse minime ausim.

38. *Goltz. Occo, Harduin. & alii.*

CAPUT III.

De publicis privatisque ædificiis ac monumentis Antii.



ANTIATI cælo Romanos olim maxime delectatos testis est 1. Strabo, qui hanc Coloniam Romanis Imperatoribus ac viris principibus in deliciis fuisse narrat, ad eamque divertisse quamplurimos Romanorum otii animique causa, cum ab Reipublicæ negotiis forensibusque agitationibus aliquantulum missionis acciperent. Magnificentissimæ proinde ædes bene multæ Antii ab iisdem excitatæ, quæ Romæ, ita dixerim, Antii rusticanti excipiendæ pares forent. Verum his narratis, Strabo, quænam singillatim hæ ædes fuerint, quantæ molis, quibus substructionibus ac ornamentis extructæ, commemorare prætermittit; quæ ego, quantum ex probatissimis scriptoribus erutisque monumentis diligentissime undique conquisita colligi potuerunt hic sub oculos legentium ponam. Ac primum quidem omnium constat, multa Antii publica sive ex publico

1. *Lib. 5. Geograph.*

ædificata sumptuosissime ab ipsis Antiatibus fuisse ædificia. Siquidem prope forum conspicuo loco sepulcrum erat Caji Marcii Coriolani, 2. quem Antiatum ac Volscorum Imperatorem Tullii Aufidii insidiis circumventum Antiates in medio foro sub Romanæ Reipublicæ initia fœde contrucidaverant. Hujus deinde defuncti cadaver pœnitentia ducti Volscorum principes Antiatumque proceres magnificentissime de publico extulerunt. virtutem siquidem incolumem odimus, at sublatam ex oculis quærimus invidi. Huic itaque sepulcrum in foro Antiates extruxerunt, monumentumque, ut bellatoris & Imperatoris insignis, armis ac manubiis hostium cumulatissime exornarunt, ut perspicue narrat 3. Dionysius, qui etiam perpaucis antiquum Priscorum Latinorum morem describit in illustribus viris efferendis ac tumulandis. Illi enim cadavera eorum qui de civibus ac Republica bene meruissent, domique ac militiæ rem strenue gessissent, media urbe vel summo aliquo clivo conspicue tumulabant, eorumque de nomine locum appellabant, annuis institutis feriis, in quibus carmina in defuncti laudes publice decantarentur. Coronare etiam illorum cadaver, aut tumulum mos fuit, & circa sepulcrum ipsum iliceas aut cupressinas coronas apponere, armaque ipsa inibi figere, si ducis eximii strenuique bellatoris tumulus esset ornandus. Addebant sæpenumero sepulcro turritam columnam aut pyramidem, qualem Caji Cestii Epulonum Septemviri sepulcro inædificatam vel nunc cernimus Romæ ad portam Ostiensem, atque in ea sive pyramide, sive columna summa ducis ipsius effigiem coloribus expressam collocabant, adscripta perbrevi laudatione, quæ sepulti nomen, ac rerum gestarum gloriam posteris commendaret. Quod si extra urbem

2. *Dionys. l. 4. Plutarch. in Coriol.*

3. *Dionys. ubi sup. & Festus l. 3. & 5. Casel. de Antiq. It. Col. pag. mihi 38.*

bem (quod ſæpius fiebat) eſſet ſepulcrum in aliquo amoeni collis vertice 4. aut clivo, lucum circa Latini ſerebant ex cupreſſu præcipue nigraque ilice, qui deinde ſacer habebatur Manibus Diis defuncti. illò deinde, vertente anno, ac deinceps quotannis conveniebant defuncti ipſius neceſſarii vel proceres civitatis, (prout publice privatimve curaretur id funus) ac in umbra ſumptuoſiſſime extructis conviviis ab Epulonibus aut Ædilibus majorum memoriæ parentabant. Quæ omnia, ſi lucum demas, Cajo Marcio Coriolano de publico exhibita ſatis innuit Dionyſius, 5. dum apud Antiates maxime celebre ejus ſepulcrum ſummo loco ac totius urbis celeberrimo excitatum præclariſque inſignis Imperatoris monumentis exornatum fuiſſe commemorat. Antii pariter prope forum Circus fuit antiquiſſimus ab Appio Claudio Cenſore reſtitutus, quem ferunt a Nerone illuſtratum, quando Senatuſconſultum a Romanis impetravit, ſeu potius imperavit, ut ludicrum Circenſe annuum haberetur Antii pro Claudia & Domitia Gente, quemadmodum Bovillis ex ſimili Senatuſconſulto habebatur pro Gente Julia. Exhibitos autem ſæpe ſumptuoſiſſime Circenſes in hoc Circo referam, ubi de ludis Antiatum ſermo erit. a pluribus enim Imperatoribus Circenſes Antii dati ſunt. Haud longe ab hoc Circo Sacellum erat a Nerone extructum pro Claudia & Domitia Gente inſtar illius quod Bovillis extabat pro Julia Gente. In eo majorum imagines aſſervabantur, poſterorumque effigies, mox ut quiſque diem ſuum obiiſſet, ſacrabantur. Inibi aderant equeſtres ſtatuæ Neronis ipſius & Claudii Imperatorum ac Appii Claudii Cenſoris. has ſimul cum majorum omnium imaginibus deferebant Sacerdotes in Circum, & Sodales Auguſtales in Circenſi pompa, ut pluribus infra

4. *Varr. l. 3. de Ling. Latin. & Caſel. p. 40.*

5. *Lib. 4.*

 refe-

referam, ubi de ludis. Quia vero mare verſus Antium protendebatur, alter extitit parvus Circus, ubi navalia certamina ſive Naumachiæ fiebant, quæ cum intra Neronianum portum haberentur commode a populo inſpectante cerni poterant. habebantur autem hæc certamina Neptuni feſto, quod ab Antiatibus ſolemni celebritate peragebatur. Jam vero Circus ille major, qua parte forum ſpectabat, adjunctas ſibi habuit auguſtiſſimas porticus, 6. quas pictura undique conveſtivit libertus quidam Neronis, cum hic gladiatorium munus Antii daret. Exprimebat pictura gladiatorum omnium ad vivum vultus atque habitum ornatumque, ac laniſtarum inſtrumenta, puta fuſcinam, rete, tridentem, atque hujuſmodi; inſtar porticus quæ viſebatur Athenis æneo Mercurio aliiſque picturis celebris, 7. ubi & Marathonia illa celeberrima pugna depicta erat. cum apud Neronem ludicræ pugnæ inter viliſſimos quoſque gladiatorum commiſſæ majori longe in pretio eſſent, quam nobiles a veteranis de hoſtibus Romani nominis relatæ victoriæ. Inſculptas etiam hujuſmodi gladiatorum imagines in his porticibus inſignis ſtatua gladiatorem referens hic effoſſa fidem facit. viſitur hæc ſiquidem ad hanc diem Burgheſio rure prope collem Hortulorum Romæ extra portam Pinciam. Hujus etiam porticus rudera & infinitæ molis ſubſtructiones viſuntur hodieque, loco non procul a mari, ubi effoſſa eſt inſcriptio M. Aquilii. Ibi enim cernitur ſubterranea porticus fornice in orbem lunato a circulari deflectens, atque ad figuram Amphitheatri producta, in cujus medio ſatis ampla ejuſdem figuræ area ſuperne expanditur. Jactæ autem fuerant hæ moles ad tantum ædificium ſuſtentandum, quod eamdem aream ambiens columnis circumquaque diſpoſitis publicas porticus efformabat. Quan-

6. *Plin. lib. 35. cap. 7.*

7. *Pauſ. l. 1.*

Quantæ vero fuerit olim hæc porticus magnificentiæ, ſtylobatæ, Corinthia capitella eleganter elaborata, epiſtylia, aliaque columnarum fragmenta inibi paſſim jacentia viſentibus locupleti ſatis ſunt teſtimonio. Plures quoque virorum illuſtrium, quique de Antiatibus bene meruiſſent, ſtatuas vel in his porticibus, vel in foro, vel certe in alio aliquo conſpicuo ac celebri loco Antii olim publice decretas & conſtitutas, quamquam nullum illarum veſtigium appareat, vel memoria ulla ab antiquis ſcriptoribus ad nos pervenerit, non levibus ductus conjecturis exiſtimaverim. ac in primis Caji illius Lucretii, qui primus Antiatum aquæductus conſtruxit. Hic ſiquidem Latinarum urbium, Romanarumque Coloniarum mos fuit a majoribus inſtitutus & acceptus ac poſteris ſemper ſanctiſſime traditus, ut inſignes viri, qui operibus publicis, aut re bene geſta Coloniam exornaſſent, ii equeſtri ſtatua publicis decreto ac ſumptibus in foro aliove celebri urbis loco collocata donarentur. quod etſi plurimis teſtimoniis confirmare, ut in re ſatis comperta, minime eſt opus, aliquibus tamen ex ipſis Latinis urbibus hic in medium prolatis aſſerere haud erit inutile. 8. Præneſtini ſane Minutium Evariſtum equitem Rom. Coloniæ patronum equeſtri ſtatua ex S. C. donarunt, quod & Claudio Maroni Anatelloni de iiſdem Præneſtinis optime merito idem Senatus indulſit. In Colonia Oſtienſi Q. Plotius eques Rom. honoribus Coloniæ functus ſtatuam promeruit cum hac inſcriptione, quæ legitur apud Gruterum: 9.

8. Emundus Figrelius de Statuis Illuſtr. Roman. c. 18. & 23.

9. pag. 454.

Q. PLOTIVS Q. F. QVIR.
ROMANVS EXORNATVS EQVO
PVBLICO HONORIBVS FVNCTVS
IN COLONIA OSTIENSI
DECESSIT.

In

In Portuensi apud Nautarum Collegium, ejusdem decreto posita erat statua 10. Ragonio Vincentio Celso, quod litem nautas inter & caudicarios nautis ipsis adjudicasset. Sunt autem caudicarii navicularii, qui e crassiori tabula, caudice nempe, compactas naves regunt. Corani pariter Tito Claudio statuam equestrem in foro collocarunt ob ejus in illam Rempublicam benemerita, adjeceruntque inscriptionem, quæ nuper effossa sic legitur:

10. Ald. Manut. in Orthograph. rat. p. 303.

T. CLAVDIO T. F. ROMANO IVSTO
OMNIBVS HONORIBVS CORAE FVNCTO
ORDO ET POPVLVS CORANVS
BENEMERITO EIVS.

Tiburtes quoque statuam L. Cœlio Victori posuerunt in medio foro, quod, cum ibi publicorum operum faciundorum curator esset, municipalia ædificia restituerat. testis inscriptio: 11.

11. Gruter. pag. 1025.

L. COELIO. L. F. VICTORI
ĪI VIRO IVRIDICVNDO
CVRATORI PECVNIAE PVBLICAE
ET OPERVM PVBLICORVM
OB MERITA EIVS
SENATVS POPVLVSQVE TIBVRS.

Qui mos ponendarum publice statuarum benemeritis de Republica viris ac feminis etiam multo frequentior fuerat in Latinis urbibus ac Romanis Coloniis antequam potentissima Cæsarum superbia, simul ac ad ipsos Romanæ Reipublicæ summa pervenit, eum sustulisset. Sibi enim tantum statuas poni, vel cer-

te

te ſuis aſſentatoribus, libertis maxime & libertabus, vel (quod nequioris eſt impudentiæ) exoticis & obſoletis, quibuſcum conſueverant, imperarunt, ſublata reliquis omnibus, quantumvis benemerentibus, eas erigendi poteſtate. Ceterum ante horum tyrannidem in Coloniis paſſim viſebantur ſtatuæ poſitæ benemerentibus viris ac feminis ob levia etiam in Rempublicam merita publice illis decretæ, qualia fuerunt non raro ludi aut epulum populo datum. qui mos cum in nimiam luxuriam nimioſque ſumptus abiret, Marcus Cato ille Cenſorius Oppiam legem defendens aliquando acriter 12. in illum invectus eſt. irrito tamen conatu, cum deinceps in immenſum creverint, omniumque Coloniarum ac Municipiorum foris ſtatuæ ornamento eſſe cœperint, prorogarique memoria hominum & honores legendi ævo baſibus inſcribi. Qui mos obtinuit uſque dum Claudius Princeps infinitæ ſtatuarum multitudini, quæ Urbem pariter ac Colonias occupabant, modum impoſiturus, decreto cavit, ne quis privatus, inconſulto Senatu, 13. ſtatuam ullam ex ære aut marmore ulli uſquam poneret. quo edicto frænata privatorum licentia ſolis Coloniarum ac Municipiorum Senatibus publiciſque magiſtratibus ſtatuas 14. ponendi poteſtas permiſſa. His itaque fundamentis innixus hiſque conjecturis non levibus ductus & Appio Claudio poſitam ſtatuam in foro Antiati crediderim, quod is Circum reſtituerat. Nec dubitaverim eodem honore ab Antiatibus auctos Aufidium Tuccam, & Aufidium Namuram, Antiſtium Labeonem, & Labeonem Antiſtium. hi enim omnes Antio oriundi magnam famam juredicundo Romæ ſibi comparaverant, quod pluribus infra commemorabo. Illud autem abs dubio certum eſt, in hoc foro Auguſto ſtatuam equeſtrem fuiſſe poſitam.

12. Plin. l. 34. c. 6.

13. Dio lib. 60.

14. L. Titius ff. de condit. & demon.

ſitam. huc enim Auguſtus ſæpius ſe contulit ædeſque magnificas ſibi hic ædificavit, & nitidiſſimas villas; nec ulla fuit Colonia, Municipium ullum quod Romani nominis eſſet, 15. quod templa, aras, vel ſtatuas huic Imperatori non voverit ac dedicaverit. Caligulæ quoque ac Neronis ſtatuas prope porticus publicas Antii fuiſſe conſtat ex reliquiis ſtatuæ Caligulæ ibi effoſſis, ac Neroniani illius liberti pictura, qua porticus tegebantur, colligere pronum eſt. His addit Ligorius, 16. Neronis ſtatuam in fronte portus ab ipſo extructi poſitam cum literis in baſi, quæ portum ab illo conditum teſtarentur. cujus baſis fragmenta non longe a littore ſubmerſa Ligorii ipſius ætate viſebantur. Ceterum Antiatum forum ſtatuis Imperatorum, Veſpaſiani præſertim, Titi, Domitiani, Commodi, Severi, & omnium maxime Pii Antonini ac Fauſtinæ uxoris minime carere potuit. Non enim veriſimile eſt, Coloniam Principum auribus inſervientem, eorumque ſuperbiæ maxime obſecundantem hoc illis non præſtitiſſe, nec illos in foro deambulantes inter majorum ſtatuas ſuam deſideraſſe, cum præſertim ſummis beneficiis eamdem Coloniam hi omnes ſibi ſummopere devinxiſſent, ac præ ceteris Commodus, Severus, & Antoninus. 17. quorum primi Commodianam & Severianam Coloniam de ſuo nomine Antium appellaverant, poſterior vero inibi de ſuo aquæductus ſumptuoſiſſime exædificaverat, illique Antiates ob hoc Aram dedicaverant, ut in loco fuſius exponam. eruta etiam nuper Antii dedicatio Antonino facta idem confirmare videtur. Ea ſic legitur:

15. *Sueton. in Auguſt.*

16. *In MSS. Ottobon.*

17. *vid. ſup. cap. 2.*

Ω. IMP. M. AVRELI. ANTONIN. AVG.
Ω. ATHENAEVS AVG. LIB. FEC.
T. FLAVIVS MODESTVS FEC.

Jam

Jam vero Faustinam quoque Antonini Pii uxorem anno tertio imperii ejusdem Antonini consecratam summisque honoribus ac titulis auctam a Senatu, in Antiati foro statuam habuisse pronum est judicare. Certe Romæ, 18. Capitolini testimonio, Faustinæ Circenses delati sunt, templum, quod & nunc aliqua ex parte cernitur, erectum, flamines dati, statuæque aureæ simul & argenteæ positæ sunt. Quis autem prudens poterit dubitare, Antiatum Coloniam tot titulis ac beneficiis a marito Antonino auctam Faustinæ uxori statuam ponere neglexisse, cum præsertim tam ingenti vi statuarum ab Urbe principe veluti provocaretur. Patronorum etiam ipsius Coloniæ statuæ conspiciebantur in hoc foro, quas inter insignis fuit Marci Aquilii statua, cujus fragmenta nuper effossa sunt cum hac inscriptione:

18. *In vit. Antonini Pii.*

M. AQVILIO M. F
FABIA FELICI
ACENSVS EQVIT. ROM-
PRAEF: CL: PR: RAVENNAT
PROC. PATRIM: BIS PROC.
HAERED. PATRIM. PRIVAT.
PROC- OPER. PVBLIC
PRAEFECT: VEXILLAT: P. P.
LEG: XI CL
PATRON. COLON, OB MERITA EIVS

Quam inscriptionem singulari Commentario illustravit eruditus 19. Turrianus. cujus proinde sententiæ subscribo. Theatrum Antii illudque celebre fuit vel prope Apollinis templum, vel non longe ab illo Veneris; atque hoc ex pluribus dedicationibus Apollini factis a

19. *A Turre de inscript. Antiat.*

Muficis Mimis & Pantomimis libertifque Neronis & Commodi in ludis Apollinaribus, quas referam, 20. fatis eruitur.

20. Cap. de Ludis.

Quod a Neronis ingenio maxime confirmatur, qui tale genus hominum & ludorum adeo in deliciis habuit ut ipfe inter Muficos & Pantomimos in Theatrum prodire non erubuerit ac Hiftrioniam agere, quin immo adulantis 21. populi plaufum vocem ejus atque artem commendantis libenter exceperit.

21. Sueton. in Neron.

Hujus etiam furor in Pantomimos competitores adeo aliquando exarfit, ut illos omnes qui in Theatro & Scena viciffent, ac Hieronicæ fuiffent coronati, oderit, & ne cujus alterius Hieronicarum memoria extaret ufquam, fubverti & unco trahi, 22. abjicique in latrinas omnium iftorum ftatuas & imagines imperaverit, ut nempe ipfe tantum victor atque infignis Pantomimus apud pofteros haberetur.

22. Sueton. ubi fup. & S. Gregor. Nazianz. Serm. 18.

Quæ plane oftendunt, eumdem Antii, quam urbem patriam fuam fummopere frequentavit, fæpe Theatrales ludos edidiffe, & Apollinaribus, quos Antiates quotannis in honorem Apollinis celebrabant, interfuiffe. quod fatis aperte demonftrat, Theatro Antium minime caruiffe. Thermis quoque ac balneis publicis privatifque nobile Antium fuit. Et privata quidem balnea in Imperatorum ædibus ac villis more Romanorum erant. Publica vero cum in ipfo Circo in ufum gladiatorum & laniftarum, tum in ea urbis parte qua Antium Albam verfus protendebatur, conftructa. ibi enim ad hanc diem reliquiæ cellarum apparent in ufum balneorum extructarum. Non longe ab Antio fons pariter fuit calidarum aquarum, 23. quem Caldanum appellabant, ubi erant balineæ calidæ earum inftar 24. quæ ædificatæ fuerant in Cardiæ campis. has autem aquas derivatas deinde in thermas Antiates narrat Ligorius, qui aquæductum ab ipfo fonte

23. Ligor. verbo Caldane.

24. Paufan. Meffenicis, five lib. 4.

te

te in Antiates iſtas thermas aquam derivantem conſpexit. Has thermas vetuſtate pæne collapſas reſtituit elegantiorique forma donavit Anicius Aubenius Baſſus 25. ætate Impp. Gratiani, Valentiniani, & Theodoſii. Horrea etiam publica Romani Antii conſtruxerunt, in quibus frumenta ad annonæ copiam aſſervarentur. Collegia quoque piſcatorum, fabrorum navalium, tignariorum, dendrophororum, atque hujuſmodi Antii fuiſſe non dubitaverim, cum in Coloniis Oſtienſi & Portuenſi Antio proximis occaſione portus hæc collegia adeſſent ad maritimas ſive excurſiones ſive expeditiones comparandas.

25. Appian. lib. 5. Bell. Civil.

Fuit & Antii, præter curiam publicaſque magiſtratuum ædes, domus C. Lucretii Prætoris e Lucretia Patricia Gente. 26. Hic rus poſſedit Antii, & ex fluvio Loracinæ in ipſum ſuum prædium aquam derivavit; inde Antium uſque. primuſque fuit qui aquæductus Antii ædificaverit, idque opus centum triginta millibus æris locavit: tabulis quoque pictis, quas e Græcia Licinii legatus advexerat, domum ſuam & Æſculapii fanum exornavit anno Urbis Conditæ DLXXX. quo anno Licinius Conſul infauſto prœlio dimicavit in Græcia. Hunc Lucretium Tribuni plebis & Chalcidenſes Romæ accuſarunt, quod deliciis Antiatibus immerſus tot tantoſque ſumptus feciſſet, ut aquam perennem in domum ruſque ſuum Antii duceret, & ad hoc ſumptuoſiſſimos aquæductus ex manubiis conſtruxiſſet. Brutus etiam 27. & Caſſius, qui Cæſarem interfecerunt, Antii domum inſtructam & rus habebant. Cæſare ſiquidem in curia confoſſo, Antium ſe ſe & Lanuvium continuo receperunt, ubi prædia maxime copioſa habebant, ibique aliquamdiu leniter otiati ſunt, ut narrat Cicero. cui pariter domus

26. Liv. lib. 43.

27. Cicer. ep. 12. l. 15. ad Attic. & ep. 9. & 10.

Antii fuit bibliotheca libris & tabulis pictis ornatissima, ut ipse ad Atticum scribit pluribus epistolis, sed præcipue tertia libri secundi, in qua Antium nuncupat Municipium honestissimum, civibus Romanis, equitibus virisque nobilibus & insignibus abundans; Antiatumque ingenium maxime liberale, adeo ut maluerit Antii quam Romæ vivere. Otium inde suum Attico exponit epistola ad illum sexta ejusdem libri in hæc verba: *Itaque aut libris me delecto, quorum habeo Antii festivam copiam, aut fluctus numero.* & infra: *quin & dubitem an hic Antii considam, & hoc tempus omne consumam, ubi quidem ego mallem diu nimirum quam Romæ fuisse.* 28. Ipse Titus Pomponius Atticus splendidam domum habuit Antii, 29. & Lepidus; cujus magnificas ædes Tullius magnopere commendat epistola ad Atticum secunda libri tertiidecimi. ex qua habes, Ciceronem domum suam Lepido vendidisse. Denique Gentem Acciam Romæ nobilem, Antistiam etiam & Aufidiam consulares Romæ Antio oriundas in hac Colonia domos & rura possedisse susius dicam in loco. Et hæ quidem ædes magnificæ illæ enimvero, sed tamen intra privatorum censum extructæ Antii fuerunt. Ceterum omnium magnificentissimæ & sumptuosissimæ visebantur ædes Augusti Cæsaris, quas ille sibi posterisque suis Imperatoribus ædificavit; quamquam ab aliis sæpe auctæ & in augustiorem adhuc formam ampliatæ sunt sæpius. In his ædibus secesserat Augustus cum ab Senatu 30. universo gloriosum Patris Patriæ nomen ei delatum est; in iisque primam plebem ab eodem Senatu missam excepit tam lætum sibi nuntium ferentem, quod non nisi lætitiæ obortis lacrimis, potuit audire. Tiberius Augustum secutus ipse quoque sumptuosissimis ædificiis Antium exornavit. Augusti ædes am-

28. Lib. 2. epist. ad Attic.

29. & l. 13. earumd. epistol.

30. Sueton. in August. cap. 58.

ampliavit in primis, aliasque ad mare ædificavit splendidissimas. 31. Cumque Romam venire non auderet a suspectis sibi Romanis metuens, Caji Caligulæ, quem successorem in Imperio mox habuit, nuptias solemni pompa Antii celebravit. Duxit autem tunc Caligula uxorem Paulinam, quam deinde sterilem causatus 32. repudiavit ducta Milona Cæsonia. Proditum quoque memoriæ est, Caligulam ipsum Antii in domo Drusi patris natum. licet enim Cn. Lentulus commemoret, eumdem natum esse Tiburi, Plinius vero Treviris, cui subscribit 33. Lipsius, Trevirorum gloriæ utpote finitimorum suffragaturus, tamen Cajus Suetonius 34. Tranquillus diserte testatur, se publica documenta vidisse, ex quibus plane constabat, Cajum Antii natum esse, idque ejusdem Caji Caligulæ luculentissimo testimonio confirmat, qui Antium omnibus semper locis atque secessibus prætulit non aliter quam natale solum. additque, famam inolevisse, Cajum sedem ac domicilium Imperii, tædio Urbis, transferre Antium destinasse. Ex quibus habes, Drusum patrem Caligulæ ædes Antii habuisse, quas tamquam sibi natales Cajum Imperatorem auxisse & magnificentissime exornasse credibile est. In his ædibus Tiberii, vel Caligulæ natus est immanissimus ille Nero Imperator, quem Antii natum 35. omnes testantur. Coloniam iccirco Nero publicis operibus auxit. construxit enim Antii portum, deduxitque eodem, ut supra retuli, 36. novam Coloniam veteranorum e Prætorio ac ditissimorum primipilarium, inibique multum anni tempus otiari consuevit. Cum fœdo illo incendio a Nerone ipso excitato, ut constans & verior fama obtinuit, Roma conflagraret, Antii Nero rusticabatur, nec Romam rediit, nisi postquam sibi nuntiatum esset, in domum quo-

31. *Notæ in Plinium l. 3. cap. 3.*

32. *Dio lib. 51.*

33. *In not. ad Tacit. num. 141.*

34. *Sueton. in Caligul. c. 57.*

35. *Tacit. l. 14. Sueton. in Neron. Tristan. in eodem.*

36. *Sueton. ibid. c. 9. & Tacit. ubi sup.*

quoque suam, Quirinalem inter & Palatinum sitam, incendium invasisse. Ceterum, incendium illud, cujus tamquam auctores innocentissimi quique nostrorum ab Nerone parricidarum supplicio sunt affecti, in decimumquartum Kalendas Sextiles incidit, diem Romæ nefastum & maxime exitialem, utpote quo tot ante annis Urbs eadem a Gallis Senonibus direpta fuerat. 37. In hac etiam Colonia ex Poppea Sabina uxore suscepit Nero Claudiam Poppeam filiam, cujus puerperii locum Antii esse voluit, ubi, nata filia, ludicrum Circense edidit. 38. Fuit & Antii domus Agrippinæ Neronis matris, cui etiam juxta mare amœnum fuit rus, & adjuncti horti florentissimi. Ceteri quoque Imperatores Antium in deliciis habuerunt, locumque quo secederent, atque ad otiandum aptissimum captare consueverunt; unde factum est ut eorum quisque aliquid semper novi operis urbi adderet. ex quo in immensum pæne excreverat. 39. Trajanus certe cum oram Campaniæ maritimam, seu potius Latii a Centum-cellis ad Bajas, qua portubus, qua viis, qua aquarum ductibus, qua Coloniis additis vel restitutis ornaverit, & huic urbi amplitudinem, & magnificentiam addidisse constat. Hadrianus vero Antii secessu adeo est delectatus, ut ibi ipse quoque magnificentissimas ædes ædificaverit, quas Philostratus Regiam illustrem appellavit. In Bibliotheca autem hujus Regiæ, Philostrati 40. ejusdem testimonio, librum Apollonii Tyanei Philosophi Hadrianus diligentissime asservabat. in eo libro sermones ab eodem Apollonio habiti cum Oraculo Trophonii descripti erant. His ædibus horti amœnissimi jungebantur, in quibus sumptuosissimi operis statuas dispositas fuisse testantur fragmenta & statuarum ipsarum aliquæ, nempe Cybelis, sive Juno-

37. *Tacit. l. 15. & 16. Suet. in Neron. Æneas Vicus Parmen. de Imag. August. pag. mihi 155.*

38. *Tacit. l. 14.*

39. *Ant. Franc. Blāchin. in Ep. Antiati. & Philipp. a Turre de Monum. vet. Lat. fol. 4.*

40. *Philostrat. in Vita Apollon. Tyan. l. 8. c. 8.*

nonis, Tyriæ aut Deæ Syriæ leoni inſidentis, Bere-
nicis ſtolatæ, ac ſtantis paſtoris lac expreſſum e vaſe
porrigentis & alternis cum hædo colludentis, pluref-
que aliæ, ibidem effoſſæ, quas hodie ſuſpicies in ſub-
urbana Pamphiliorum villa ad Janiculum. Non levem
licet facere conjecturam, Titum etiam & Domitianum
fratres Imperatores Antio delectatos, quos licet Ha-
driano ſuperiores hoc loco commemoravi, quod de
iis nil certi compertum habeam. Conjecturam tamen
non levem facere licet ex nummo ab Antiatibus, di-
xerim, cuſo in honorem Titi cum literis *Col. Anti.*
quem 41. Goltzius male tribuit Coloniæ Antipoli; num- *41. In theſaur. p. 137.*
quam enim Antipolim deductam Coloniam legimus,
ut optime notat Harduinus, 42. cum quo propterea *42. Harduin. de Nummis Urb. p. 55.*
veriſimilius leges in nummo *Colonia Antiatum.* Cui
ſententiæ ſi adhæreas, fateberis hanc Coloniam bene-
ficiis a Tito auctam in grati animi monumentum eum
nummum cudiſſe, ac Tito dedicaſſe, quem proinde
ejuſdem Coloniæ domicilio ac ſeceſſu delectatum non
temere affirmabis. De Domitiano vero ſcribit Martia-
lis, dum inter loca ad quæ accedebat otiaturus Do-
mitianus, Antium quoque recenſet libro Epigramma-
tum quinto, 43. epigrammate primo, & alibi: *43. Lib. 5. Epig. 1.*

Seu tua fatidicæ diſcunt reſponſa ſorores,
Plana ſuburbani qua cubat unda freti.

Horum veſtigiis inſtitit Antoninus Pius, qui Antiatum
aquæductus prope vetuſtate collapſos reſtituit, novoſ-
que conſtruxit, 44. ut urbs & domus ſua ac prædia, *44. Capitolin. in Antonino.*
quæ Antii ampliſſima poſſidebat, aqua perenni abun-
darent. cujus beneficii memores Antiates templum il-
li & aram tamquam Semideo, & Heroi dedicarunt,
45. Aramque Piam, quod & Puteolani & Minturnen- *45. Ligor.*
ſes fecerant, de Pii nomine appellaverunt. De M. Au-
re-

relio Commodo, ac Septimio Severo ſupra commemoravi hanc Coloniam Commodianam ac Severianam aliquando dictam, quod illorum in eadem ſeceſſus ac domicilii ſatis locuples eſt teſtimonium. Idem vero factitaſſe reliquos omnes Imperatores uſque ad Conſtantinum Magnum aſſerit Acron Porphyrius in Commentariis ad illud Horatii: *O Diva, gratum quæ regis Antium*; aliique poetæ ejuſdem interpretes, qui ab Romanis Imperatoribus fere omnibus, ducibuſque ac nobiliſſimis Patriciorum frequentatum fuiſſe Antium confirmant, ſcilicet ob Fortunæ celeberrimum templum ibi dedicatum, ac ſumptuoſiſſime exornatum, pretioſiſſimiſque muneribus auctum in ætates ſingulas, ea opinione ductis quod præclaras victorias atque ipſius Imperii felicitatem ſortibus Antiatibus acceptas referre deberent. Et quidem aquæductus Antii nuper effoſſi cum inſcriptione:

IMP. AVG. VESPASIANI
PROSIAE CRISPINAE

ſatis indicant Veſpaſianum aquæductus Antiates reſtauraſſe, & Proſiam Criſpinam, 46. quæ fuit M. Aurelii Commodi Imperatoris uxor, & filia Brutii Præſentis viri conſularis. Hunc Brutium alii 47. vocant Pruſium Præſentem, unde ex paterno nomine litera, ut ſæpe, immutata, Proſiam ejus filiam in hoc aquæductu appellatam judico. Ceterum quod uſque ad Magni Conſtantini Imperatoris ætatem Antium ſecedere conſueverint Imperatores & illud confirmat, 48. quod Conſtantinus multa prædia, quæ Antii habebat de ſuo, Lateranorum templo donavit, ut ex iis miniſtri ſacrorum alerentur. Quæ omnia ſatis ſuperque 49. Strabonis teſti-

46. *Capitolin. in M. Aurel. Antonino.*

47. *ap. Triſtan. in numiſmatib. Comm. in numiſm. Criſpin.*

48. *S. Damaſ. & Platin. in Vit. S. Silveſtri I.*

49. *Lib. 5.*

ſtimonium aſſerunt dicentis, magnifica ædificia quamplurima Antii fuiſſe. Si enim vel unica Hadriani domus Regia dicta eſt & habita a Philoſtrato, quod dudum commemoravi, quanta fuit tandem Coloniæ hujus magnificentia, ædiumque nobilitas ac ſumptuoſitas, in qua tot Romani Imperatores ſummis impenſis domos ſibi ædificaverunt? Quo nil aptius ad celeberrimæ iſtius Coloniæ laudem & ornamentum. Hæc itaque fuerunt Antii intra mœnia ſive intra pomœrium illuſtriora ædificia. Quamquam non omnia commemoraſſe auſim dicere. quis enim ſanus in tanta rerum ac ſæculorum vetuſtate & oblivione hoc audeat? Nunc de villis ac prædiis illorum pauca ſubdam, quos non legimus Antii intra pomœrium ædes habuiſſe. Ac primo quidem celeberrimus ille literatorum patronus & aſylum Cajus Cilnius Mæcenas rus habuit in agro Antiati, eo loco ubi nunc Caſtrum Sanctæ Anaſtaſiæ. inſigne fuit hoc rus ob fontem aquæ calidæ, 50. quam Caldanam appellabant, ibidemque tamquam fontis præſidi Auguſto ſtatuam poſuit Mæcenas. Claudius quoque Medullinus ex nobiliſſima Romæ Gente Medullina rus ſplendidum Antii poſſedit, quale habuit & Cumis ad Lirim in Campo Stellate & ad Lucrinum. 51. Hic ex ea Gente fuit, ex qua Medullina illa virgo, quam ebriam repertam Medullius pater violaverat. Fuit & circa Antium rus Septimiæ Gentis Septimianum propterea dictum. Jam vero inter Appiam & Antium prope alteram viam, quæ ducebat ad portum Antiatem fuit rus Inejolejæ Gentis Romanæ equeſtris e Poblilia tribu. ibique hujus Gentis ſepulcrum viſebatur, cujus ſepulcrales lapides ibidem effoſſos hic legis ex Ligorio:

50. *Ligor.* v. vini, & v. acque Caldane.

51. *Plutarch. in parallel.*

F D. M.

D. M.
L. INEIOLEIVS M: F: POBLIL.
VETRVBIVS EQ: POBL.
ET INEIOLEIA SEXTILIA
FECERVNT ET SIBI ET SVIS HEREDIBVS.

T. INEIOLEIO T. F. POBL.
GAVINVS EQVO POB.
PROCVRAT: MERITOR. MIL.
Q. VIX. ANNIS LV:
M. III. DIEBVS VI.
IVLIA PRISCILLA CONIVGI PIISSIMO
ET HER: EX TESTAM: P. CVR.

Ex quibus conſtat, hanc Gentem Romæ 52. equeſtrem, & uxorem Lucii Sextiliam plebejæ primum; inde conſularis Gentis fuiſſe Tuſculo oriundæ. Titum vero ſive Tiberium Inejolejum ejuſdem familiæ equeſtris propter rem bene geſtam in bello equo publico donatum fuiſſe, qui de more 53. alebatur de publico. Hunc etiam lapis appellat Procuratorem meritorium militum. 54. quam procurationem ut equeſtri ordini mandaret Auguſtus, Mæcenas oratione contendit. licet 55. aliquando eadem libertis demandata fuerit. Prope viam Laurentinam Severianam in agro Antiati fuiſſe rus Publii 56. Chabili equitis Laurentini Laurolavinatis, cippus, qui agri fuerat limes, effoſſus teſtatur inciſis notis. Atque hæc quidem potiſſimum rura, prædia, ac villæ Imperatorum, Conſulum, Patriciorum equitumque Romanorum Antii fuerunt, quarum aliquid certi ad nos ex hiſtoricis, vel effoſſis inſcriptis lapidibus pervenit. Ceterum, ſoli ingenium, maris opportunitas, cælique temperies ac Coloniæ cele-

52. *Liv. l. 3. Fulv. Urſ. in Sextia. Pigh. Ann. l. 2. & 3.*

53. *Spon. ſect. 7. pag. 259.*

54. *Dio lib. 52.*

55. *Id. l. 53.*

56. *Ligor. ver.* Chabiliana.

le-

lebritas ſatis perſuadent alias quamplurimas in agro Antiati villas extitiſſe privatorum hominum, libertorum maxime Imperatoriæ Gentis, quos Romani in deliciis habere conſueverant, ac quorum arbitrio pæne ipſam Rempublicam adminiſtrandam ſæpius tradiderunt. Temporis tamen tam longinqui vetuſtas omnem omnino hujuſmodi villarum memoriam delevit, ſi pauca excipias, quæ hic ex Ligorio oculato teſte ſubnectam. Ait enim Ligorius Myrtilum libertum Commodi Pantomimum inſignem rure ſuo Antii ſepultum, L. pariter Aurelium Harpalum ejuſdem Imperatoris Pantomimum rus nobile inter Antium & Aſturam habuiſſe, item T. Claudium Claudii libertum Archigenem Muſicum, quorum inſcriptiones referam ubi de Ludis. Nec ignobile fuit in agro Antiati rus Caji Cæcilii Dicæarchi Muſici ac liberti ejuſdem Commodi Imperatoris, quod viæ Appiæ conterminum fuit, ubi talis lapis effoſſus eſt:

57. D. M. *57. Ligorius v. Dicearcho.*
C. CECILIVS C. L. DICEARCHVS
MVSICVS COMMODIANVS
ET CECILIA CHRYSIDA
LIBERTA AVRELIANA COMMODIANA
VXOR SIBI LIBERISQVE SVIS
ET LIBERTIS LIBERTABVS
POSTERISQVE EORVM
IN FRONTE PED. XII: IN AGR: PED: XV.

In littore demum Antiati fuiſſe rus M. Livii Rytiſii liberti Fadiæ Gentis, & ſcribæ Quæſtoris habes ex inſcriptione ex eodem Ligorio:

Q. FADIVS RYTISI
RYTISIANVS
ROBIGVMNVM SIGNVM MARMOREVM
DEDICAVIT CVM ROBIGALIA SACR. CORON:
ARGEN: KAL. MAII VESPASIANO AVG: IIII
ET T: CAESARE II COS: D. D.

58. Ligorius verb. Rytisiano.

58. MINERVAE CONS: SACRVM
M. LIVIVS FADIANVS RYTHISIVS
SCRIBA QVAESTORIVS D.D.
KAL: MAII VESPASIANO IIII
ET T. VESPASIANO II COSS:
ET ROBIGALIA ET MINERVALIA FECIT.

Ad hunc lapidem explicandum juvat hic pauca de rusticis sacrificiis ex probatissimis Catone, Varrone, & Columella de re rustica scriptoribus in medium afferre, quæ profanorum antiquorum religiosissimam, ita dixerim, in suorum Numinum cultu religionem prodant, unde nostrorum tum rusticorum tum etiam aliorum opificum in veri Numinis cultu pro frugibus impetrandis oscitantia maxime pateat. Robigalia itaque sacrificia fuerunt Robigo facta, qui antiquissimus Latinorum Deus est habitus, & segetibus, 59. ne robigine læderentur, præesse creditus est. Pompilius Numa anno regni sui XI. solemne hoc festum apud Romanos instituit, quo flamen canem immolabat, & ad quartum Kalendas 60. Majas orationem supplicem Robigini ferebat, ne in sata sæviret. Rustici autem & ipsi prædiorum domini huic Deo secundum segetes sacrificabant, ne robigine læderentur. Sane profani illi veteres prædia sua & agros templorum instar colebant. cuilibet enim loco, ac agrorum parti, segeti quo-

59. *Varro lib. 5. de Ling. Lat.*

60. *Ovid. l. 4. Fastor.*

quoque ac vitibus, arboribus, atque arbustis, fontibus & rivulis præsens Numen inesse loci ipsius, ac rei curam gerens putabant, atque ob id infinitam Deorum vim religiose venerabantur eisque immolabant. Qui manifestissimus ceteroquin error illud tamen quod certo Divina Fides & vera Religio nos docet mirum in modum confirmat, Deum videlicet Optimum Maximum ubique locorum adesse, nec rei alicujus licet minimæ curam negligere; ab eo proinde omnia speranda, ab illo impetranda omnia, placandumque ipsum qua precibus, qua sacrificiis, quorum potestas penes solos rite initiatos residet Sacerdotes. Ubi itaque 61. paterfamilias in fundum venerat, Larem familiarem ante omnia salutabat, eademque die, si per tempus licebat, fundum circumibat, neque Haruspicem, Augurem, Ariolum vel Chaldæum consulebat, sed Numina. Si fodere agrum volebat, piaculum præmittebat porco mactato, hujusmodi conceptis verbis: *Si Deus, si Dea es, quojum illud sacrum est, ut tibi jus siet porco piaculo facere, illiusce sacri coercendi ergo. Harumce rerum ergo, sive ego, sive quis jussu meo fecerit, uti id recte factum siet. Ejus rei ergo te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor uti sies volens propitius mihi, domui, familiæque meæ, liberisque meis*. Antequam 62. florerent segetes & arbores, Robigo, & Floræ sacrificabant, quibus placatis nec frumenta corrumpi, neque arbores intempestive florere, aut aliter lædi posse credebant. dum tritas fruges ventilabant, Deos pariter invocabant. quarto autem Kalendas Majas in dictis Robigalibus singuli patresfamilias Robigum mactato catulo piabant, quod sic narrat Columella: 63.

Hinc mala Rubigo virides ne torreat herbas,
Sanguine lactentis catuli placatur & extis.

Quin

61. *Cato de Re Rustic. tit. de patre famil. c. 2. & 5.*

Idem c. 139.

62. *Varro de Re Rustic. cap. 1.*

63. *Columell. lib. 10. de Re Rustic.*

Quin immo nefas apud illos sementem administrare, aut fœnum secare, vincire, aut vehere, aut vindemiam cogere, aut oves tondere 64. catulo prius non mactato Robigo & Caniculæ. Cellam vinariam omni stercore perpurgabant, bonis odoribus suffiebant, & Libero Patri, Liberæque, ac ipsis vasis pressoriis quam sanctissime 65. castissimeque sacrificabant priusquam vindemiam inciperent. Cereri pro messe, Ambarvali, quod elegantissime describitur a Tibullo, sacrificabant. Lympham quoque & Bonum Eventum invocabant, utpote a quibus omnem laborum suorum agriculturæque fructum sibi pollicerentur. Quod si rure suo oliveta, aut hortos habuissent, Minervæ & Veneri sacrificabant, quarum altera olearum, hortorum altera præsens tutela existimabatur. Minervæ tamen nihil caprini generis immolabant, quod maxime oleis noceat morsuque steriles illas reddat. Volentibus serere milium, panicum, allium, lentim, aut aliud ervi genus opus erat prius dapem facere Jovi Dapali; quo die boves, ac bubulci rite feriabantur. Dapem vero Jovi sic faciebat paterfamilias. Jovem invocabat: manibusque 66. lautis vini certam mensuram sumebat, quam effundebat, ac Vesta quoque invocata, ovem tandem Jovi mactabat. Messem sacrum præibat Cereri factum porca præcidanea, Jano, Jove, ac Junone invocatis; ac libatis ture & vino, precibus verbisque Jano conceptis eo ferme pacto, quo supra similes preces retuli. quibus peractis præcidaneam immolabant, extisque prosectis ea Jovi ac Cereri offerebant, ut latius Cato. Pro boum etiam valetudine, in singula eorum capita farre adoreo, larido, & vini sextario Silvano votum faciebant: idque poterat promiscue servus vel liber; statimque a sacrificio peracto omnia illa consume-

64. *Id. l. 2. c. 22.*

65. *Id. l. 12. c. 18.*

66. *Cato de Re Rustic. c. 132.*

ſumebantur ab ipſis ſacrificulis. atque hoc ſacrificio interdictum erat feminis, vetituſque ipſis vel ejus aſpectus. Erant 67. & villicæ & villico certa quædam ac peculiaria ſacrificia procuranda. Et villicæ quidem erat, focum purum circumverſum quotidie priuſquam dormitum iret, habere; Kalendarum, Iduum, ac Nonarum feſtis diebus coronam foco imponere, & Laribus ſupplicare. Villici autem, inter vota & primitiarum loco aurem pecudis præcidere, illamque averſum ſupra tectum abjicere; pro noctibus vero ſerta unguenta & coronas Veneri, aut Cupidini dona ferre. Paſtores qui in prædio erant, Pani quotidie ſupplicabant, juxta illud Ovidii: 68. *Pana Deum pecoris veteres coluiſſe feruntur*. Ferias quoque ac feſtos dies tanta religione colebant ruſtici, ut apud profanos fuerit inauditum, ruſticum vel patremfamilias ullum umquam pontificalium præceptorum violaſſe. Aliqua tamen & feriis feſtiſque diebus jure illo pontificio permittebantur, quæ ſingillatim a Columella 69. ac diligentiſſime enumerata, & a Virgilio elegantiſſime deſcripta, hic, ne longum faciam, prudens omitto. Ex quibus ſatis ſuperque explicatum habes quid ſibi velit lapis quo dicitur, Q. Fadium Rythiſium rure ſuo dedicaſſe Robigumnum ſignum marmoreum in honorem Robigi, cum feciſſet Robigalia. Catulum nempe lactentem Robigo ſolemniter mactavit, ſignoque Robigi ſacram coronam argenteam impoſuit: & quoniam rure iſto olivetum ſatum erat, alter lapis M. Livii Fadiani indicat, Minervæ Conſervatrici, & tutelæ olearum facta eſſe Minervalia, ſacrificium nempe in honorem Minervæ. In quibus illuſtrandis non eſt ultra quod immorer, cum de hujuſmodi ſacrificiis pleni ſint omnes libri, plenæ ſapientium voces, plena exemplorum vetuſtas

67. *Id. inferius*.

68. *Ovid. l. 2. Faſtor.*

69. *Colum. de Re Ruſtic. c. fin. lib. 2. Georgic. l. 1.*

Ju-

Juvat hic inſcriptos lapides mortuales duos attexere, quos e ruinis veteris Antii erutos Cæleſtinus Campoſanus domi ſuæ in Neptunii oppido aſſervatos nobis recenſendos tradidit. Sunt autem hujuſmodi:

DIS MANIBVS
FLAVIAE VICTORIAE BENE
MERENTI. FLAVIA THREPTE
SORORI PIENTISSIMAE ET M.
VLPIVS SATVRNINVS FECERVNT
ET LIBERTIS LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE EORVM

MARCO. ANTONIO. PRISCO.
VIXIT. ANN. VIIII
MENSIBVS. VIII
RVSTIA. PRISCA. MATER.
FILIO. PIENTISSIMO. FEC.

Et ne venerabilis antiquitatis vel ipſa fragmenta quamvis mutila, corroſa, & manca pereant omnino, lapidum hic fruſta quæ Antii effoſſa nuperrime legi, non inane adſcribere exiſtimavi. En illa:

- - - - - DIVI - - - -
- - - - TRAIAN - - - -
- - - - - VAE
- - - - M. AVREL. - - - - -
- - - - VG. PIVS
- - - - - - - AN. - - - - -

Monumentum fuit hoc marmor ſive Dedicatio ab Imperatore Antonino facta, in qua etiam Trajani & Nervæ

væ Imperatorum mentio habebatur. Lapis alius has truncas pariter exhibet notas:

------- VENT ----
---- AVDIVS. AVG. L. ---
------- MATERNVS
--- IS. DEI PHID. VI
---------- OMVS
------- L ANIE
---------- ODI

Memorabat inſcriptio Ventidium Claudium Auguſti libertum. Commodi quoque Imperatoris eadem meminiſſe videtur.

In alio autem lapide hæc legi:

M. FABIVS. 7L. HILARVS
CAESONIA. 7L. RVFA
CAESONIA. 7. L. ACOME

Has Cæſonias libertas fuiſſe Cæſoniæ uxoris Caligulæ Imperatoris Antii nati non abs re fortaſſis aliquis diceret.

Denique etiam plumbei aquæductus effoſſi ſunt ſic inſcripti:

T. FLAVIVS TROPHIMVS FEC.

CEL. EGNATIVS PEDITVS FEC.

S. EGNATIVS PEDITVS FEC.


Quæ nomina ſive libertorum a Cæſaribus aquæductibus ædificandis præfectorum, ſive ipſorum artificum fuiſſe exiſtimaverim.

Ceterum de tot ſumptuoſiſſimis ædificiis ac molibus veſtigia mihi nuper Antii quærenti duo tantum occurrerunt, quæ vetuſtam aliquam figuram adhuc ſervarent. Ea ſunt, alterum quidem vetuſti pavimenti pars adhuc ſuperſtes in ruinis ædium quæ Neronis fuiſſe vulgo creduntur; alterum vero ſepulcralis moles mille & quingentis paſſibus a Neptunio oppido diſtans in diverticulo olim Viæ Appiæ in fundo olim Gentis Signeræ nunc Nunniæ ſita. utriuſque imaginem accurate expreſſam hic damus.

Fragmentum inſcriptionis ſuperſtes in marmorea Tabula reperta in ruinis veteris Antii ſtudio & impenſis Alexandri Albani Cardinalis ampliſſimi anno 1723.

INter veteris Antii monumenta locum damus huic Tabulæ ibidem nuperrime effoſſæ, brevemque illius, quantum ex fragmentis in unum coaptatis aſſequi poſſumus, explicationem adjungimus. Duplicem itaque partem habet Tabula ſive fragmentum Tabulæ. Prima quidem Cæſariani ſive Cæſareæ domus ſervi deſcribuntur. Altera vero ſex poſteriorum anni menſium Kalendarium notatur. Quod quidem ad ſervos attinet; eorum miniſteria conciſis de more notis ſignantur, quarum infra ſententiam ſubdam. Quantum vero conjectura aſſequi poſſum, erant hi ſervi imperatorii, qui imperatoriarum ædium Antii magnificentiſſime, ut hactenus dictum eſt, extructarum curam habebant. In Tabula autem ſignata ſunt eorum nomina vel tantum honoris cauſa, ut poſteris eorum apud Cæſarem miniſteria innoteſcerent, vel ob grati animi monumentum ab Antiatibus incidi juſſa, quod de ſuo hi ſervi


& li-



Vetusti pauimenti pars, quod è varijs minutissimis marmoribus intextum ad hanc diem Antij cernitur eo loco, quo Neronis regiam fuisse vulgo di= cunt

Moles vetustissima mille et quingentis passibus procul ab Oppido Neptuno sita, quæ ab incolis Turris Monumenti vulgo dicitur.

TAB. III.



Tab. IV.

Fragmentum inscriptionis superstes in marmorea Tabula, reperta in ruinis Veteris Antii, studio, et impēsis Em. ac Rev. Principis Alexandri S.R.E. Card. Albani: cujus in celebri Musæo lapidario Romæ custoditur hoc anno 1723

IX CAESARIS
MENSOR
DD. PRO. MAG. HS ∞DC
DIVS NESSVS II
DIVS HERMES
ATHVS ATR::::RI
EGVS SEXTIONINVS
PRO. MAG. HS ∞DC
IRIMVS SVBVIL
ATTAL

TI·IVLIVS·GRAPHINATA
TI·CLAVDIVS·ROMANVS
BATELLVS·VER·CAP·ABIB
PRIMVS·HILARIAN·ASVPEL
ARGAEVS·GEBER·CENSORIN
SECVNDVS·TEC·EVPORIAN
ZORA ATR
SEPVNIVS CLARVS·EX·DD·HS ∞∞

CLAVDIO CAESARE AVG Q·VERANIO
CAECINA·LARGO·COS A·POMPEIO GALLO COS

GRATVS · TOP
LEO ATR
THVS TOP
SALVIVS POLIT

HELLVS ATR
HER APID
HRESAD
H PAVIMEN
SATVRNINVS SPHAER
GORA · ATREN

TI CLAVDIO CAESARE AVG COS C·ANTISTIVS VETVS COS
L·VITELIO II M·SVILLIO NERVILINO
ZELVS AVG·LIB
CLAVD ATIMETVS ABIB
V LISIMACHVS·AEDIT·VERNANI
HVNC PRINCEPS TABELLA
ITESSET II DEC·TAN TOP

MYRO·AVG·L·PICTOR
FELIX·AVG·L·IVSCVL
ANTEROS TEGVL
EVPHEMVS LIAN DISPENS
IANVARIVS PISTOR
APOLLONIVS ATR

IO·C·PONTIO COS
II ASVPELLECTILE
ATRIENSIS
ENIVS ATRIENSIS
EX·D·D·ALLEC·HS ∞ATR
AEVS TOP
MNVS·PEDISQ·DELP
CAIVS L·ADI

AIVS
M STATILIO TAVRO
L·QVINCTIO SECVDO COS
TRYPHON ADIVTI
PHILETVS AEDITVS FORTVNARVM
CHRESIMVS A BIB
FELIX CAMP
AGATHOPVS TEC
VENVSTVS SPEC
ANTIPATER AVG L EX D D HS ∞DC

TI·CLAVDIO AVGVSTO V COS
SER·CORNELIO ORPHITO
PHIVS DE ::::: AN. SVBVIL
OPVS ON M·MEDIC
VS.....POR:::ILIC
LVSALLA A CORIN
PECLAR II
DIVAE AVGVSTAE MED
VS FAVON THER

K IVL	N FELICIT INCAP	E K AVG	NP TI CLAV SPEI AVG ALEXAND RECEPIT	D K SEPT	F FERIAE IOVI			A K NOV	F IN CIRCO	G K DEC	
VI	N	F IIII	N·DIVVS IVL·HISP·VIC	E IV	N			B IIII	F		H IV N
V	N	G III	C	F III	NP COMM			HS X C III	C		A III N
IV	NP CIS AVGVST CONSTITVIT	H PR	C	G PR	C DCCLX			D PR	C LVD·PLEB COM HS DC		B PR F
III		A NON	NP SALVTI IN COLLE	H NON	F LVDI	F	LVDI	E NON	F LVD		C NON F
PRID	N LVDI APOLLINI COMM HS·CCC XXC	B VIII	NP	A VIII	F LVDI	G PR	N LVDI	F VIII	F LVD AGRIPP IVL NAT		D VIII F
NON	N LVDI	C VII	C	B VII	C LVD	H NON	F LVDI	G VII	C LVDI		E VII C
VIII	N LVDI	D VI	C	C VI	C LVD	A VIII	C LVDI	H VI	C LVDI		F VI C
VII	N LVDI	E V	NP DIVVS·IVL·PHARS VICIT	D V	C LVD	B VII	C LVDI AVG AED APOLL DEDICAVIT	A V	C LVDI		G V C
VI	C LVDI	F IV	NP FERIAE CERERI ET OPI·AVG	E IIII	C LVD		INTER GER MANIC	B IIII	C LVDI		H IV C
V	C LVDI	G III	C	F III	C LVD			C III	C LVDI		A III A G NP
IIII	NP LVDI DIVI IVL NATALIS	H PR	C	G PR	C LVD	V SN	IN CIRCO	D PR	C LVDI		B PR F
III	C IN CIRCO	A EID	NP DIANAE IN·AVENT	H ID	NP EPVLI	F		E ID	NP EPVLVM INDICITVR		C ID NP TEC
PR	C	B XIX	F AVGVSTI TRIVMP	A XIIX	F INFER·DI EQVOR	NP		F XIIX	F EQVOR·PROB		D XIX I
EID	NP MERCATVS DIES V	C XIIX	C	B XVII	C IN CIR	F	VERN·DIES·FEST	G XVII	C IN·CIRC		E XIIX CON
XVII	F	D XVII	C	C XVI	C IN CIRC	C		H XVI	C IN CIRC·L·AVG NATAL		F XVII
XVI	C	E XVI	POR NP PER·PORTVN	D XV	NP IN CIRC	C		A XV	C IN CIRC·SOL·IN SAGITT		
	C DIES ALL AR	F XV	C AEDIS·DIVI IVL·DED			NP	DIVVS AVG TOG RILEM SVM	B XIV	C MERCATVS		
		G XIV	V IN F AVGVSTVS EXCESS								
		H XIII	C INTER·L·CAESARIS								

Scala palmorum quatuor

1 2 3 4

& liberti Cæſarum in publica munera, congiarium puta, epulum, vel ludos, pecuniæ vim illam & ſummam contuliſſent, quæ in Tabula idemtidem his notis (H-S ∞) aut ſimilibus exprimitur. Cui conjecturæ appoſitum Kalendarium, in quo dies ludorum aliorumque munerum ſingillatim notantur, non leve pondus addere videtur. Ludos autem, epula, atque hoc genus munera populo a Cæſarianis ſervis & libertis præberi conſueviſſe nemo eſt qui neſciat. Cur autem hos ſervos Antiates potius ſive Antii degentes, quam Urbanos urbanorumque miniſteriorum in ædibus Cæſarum curatores fuiſſe putem, id facit; quod Antii fuerit hæc Tabula & modo reperta & proinde antiquitus poſita, in atrio ſcilicet templi alicujus vel ædis publicæ, aut certe foro, via, aliove celebri loco collocata. Quædam etiam inibi notantur miniſteria quæ ruſticationis propria ac peculiaria videntur, ac proinde Antii, in qua urbe ruſticationis delicias Imperatorum bene multos hauſiſſe diximus. Legitur enim ibi Subvillicus, Topiarius, & ſervus portandis ilicibus præfectus. Illud autem maxime animadvertendum, quod inter hos ſervos notatur etiam Ædituus Fortunarum, quem eſſe Ædituum Fortunarum Antiatum nullus dubito, ac proinde Antii ſervaſſe in æde Fortunarum. Si enim Romæ Ædituus fuiſſet Fortunarum Antiatum, illum quoque Comicus irridere merito potuiſſet non abſimili dicterio, ac uſus eſt ſervus alter apud ipſum, cum ait: *Si illi ſunt virgæ ruri, at mihi tergum domi eſt:* Ædituus enim proprie eſt qui in æde ſervat, qui ædem cuſtodit, ejuſque ſupellectilis curam habet, ædiſque ipſius aditum claudit & reſerat; quæ munera nonniſi coram exhiberi poſſunt; niſi tamen per vicarium fierent. Potiſſimum autem argumentum, cur hos ſervos Antii in ædi-

ædibus imperatoriis degisse crediderim, est, quod pecuniæ summa ex Decurionum decreto notatur. Decuriones autem magistratus fuere non Urbani, sed Coloniarum. In Urbe enim Decuriones nonnisi in exercitu fuerunt, præpositi nempe decem militibus, ut Centuriones centum; vel in Comitiis uni decuriæ civium. Magistratus autem urbanus, cujus decreto aliquid sanciretur in Urbe, Decuriones fuisse nusquam leguntur; quod de Coloniis passim apud scriptores occurrit, nosque infra ubi de Magistratibus Antiatum agitur, fuse ostendimus. Et hæc quidem quod attinet ad servorum seu patriam, seu domicilium. Cujus autem Imperatoris hi servi fuerint, omnino non liquet. Quamvis enim ex Consulibus qui idemtidem in Tabula notantur, aliquid luminis ad hoc investigandum affulgeat, id tamen tantum non est, ut stabilem in sententia dicenda pedem figere tuto quis possit. Cum tamen ter notetur Tiberius Claudius Cæsar Augustus Consul, ejus servos illos fuisse pronum est suspicari. Hic autem interpretamur quidem concisas notas, quibus servorum ministeria in Tabula innuuntur: non vacat autem de singulis commentaria scribere, quæ & eruditissime olim fere omnia explicavit Laurentius Pignorius Patavinus vir de Romana Antiquitate optime meritus in suo Commentario de Servis, & nos peculiari commentario hanc Tabulam susius explicantes Deo dante illustrabimus. Accipe itaque primæ partis hujus Tabulæ notarum concisarum interpretationem.

DD PRO MAG. H-S ∞ DC lege: Decurionum decreto pro Magiſtratu ſeſtertia mille ſexcenta.
ATR - - - - - - - - - lege: Atrienſis.
PRO MAG. H-S ∞ DC. hoc eſt: Pro Magiſtratu ſeſtertia mille ſexcenta.
SVBVIL - - - - - - - - - Subvillicus.
TOP - - - - - - - - - - - Topiarius.
ATR - - - - - - - - - - - Atrienſis.
POLIT - - - - - - - - - - Politor.
AVG LIB - - - - - - - Augufti Libertus.
A BIB - - - - - - - - - - A Bibliotheca.
AEDIT. VERNANI Ædituus Vernani.
PRINCEPS--ABELLA--Princeps Tabellariorum.
$\overline{II}$ - - - Secundo, ſive Secundus, ſive Secundum.
DEC TAN - - - - - - - - Decies tantum.
AEDITVS FORTVNARVM Æditūus Fortunarum, nempe Antiatum.
CAMP - - - - - - - - - - Campidoctor.
TEC - - - - - - - - - - - Tector.
SPEC - - - - - - - - - - - Speculator.
AVG L. EX DD H-S ∞ DC - - Augufti Libertus ex Decurionum decreto ſeſtertia mille ſexcenta.
EX D.D. ALLEC H-S ∞ ATR - - Ex Decurionum decreto allectus ſeſtertiis mille Atrienſis.
VER CAP A BIB - - - Verus Capito a Bibliotheca.
HILARIAN A SVPEL - - Hilarianus a Supellectile.
TEC EVPORIAN - - - Tector Euporianus.
EX D.D. H-S $\overline{\infty\infty}$ - - - Ex Decreto Decurionum ſeſtertia bis mille.
- - APID - - - - - - - Serapidis.
PAVIMEN - - - - - Pavimentarius.
SPHAER - - - - - - - Sphæriſticus, vel Sphæriſta.

ATREN

ATREN - - - - - - - - -	Atrenſis.
AVG. L. PICTOR	Auguſti Libertus Pictor.
AVG: L. IVSCVL - -	Auguſti Libertus Juſcularius, ſeu Juſculentarius.
TEGVL - - - - - - - - - -	Tegularius.
LI. AN DISPENS - -	Libertus Antonini Diſpenſator.
AN SVBVIL - - - - - -	Antonini Subvillicus.
M. MEDIC - - - - - - -	Marci Medicus.
POR. ILIC - - - - - - - -	Portandis ilicibus.
A CORIN - - - - - - - -	A Corinthiis.
MED - - - - - - - - - - - -	Medicus.
FAVON THER - - -	Favonius Thermarius.

Jam vero ut aliquid & de altera Tabulæ parte diſſeram, in qua ſex poſteriorum anni menſium Kalendarium notatur; illud in primis noto, Kalendarium hoc ludos, ceteraque feſta ſignare quæ Romæ, non autem Antii fierent; id autem manifeſte liquet ex eo quod notentur feſta Felicitatis in Capitolio, Dianæ in Aventino, Salutis in Colle. Quæ loca Antii quoque fuiſſe, Capitolium præſertim & Aventinum, nonniſi inepte quis aſſeveret. Sex autem priorum anni menſium feſta deſcripta in Tabula fuiſſe non dubito, quæ temporis injuria & vetuſtate deſiderantur.

A
B
C
D
E
F
G
H

Primæ autem literæ in Kalendario ad ſingulos menſes ſic diſpoſitæ, dierum numerum per hebdomadam, ſive octiduum, deſignant.

Se-

Sequentes vero notæ K IVL K. AVG K SEP,

VI V IV III PRID NON EID	& aliæ deinceps, significant: Kalendis Julii, Augusti, Septembris, &c. Sexto Nonas, Quinto Nonas, &c. Pridie Nonas, Nonis, Eidibus, hoc est, Idibus.

Et reliqui numeri: Decimooctavo Kalendas, Decimoseptimo, & sic deinceps. Quæ dierum supputatio per Kalendas, Nonas, & Idus usitatissima est apud antiquos.

N N N NP NP C C F F	Jam vero notæ illæ significant: Nefastus. Nefastus. Nefastus. Nefastus primo. Nefastus primo. Comitialis. Comitialis. Fastus. Fastus. & sic de singulis.

Quinam autem apud Romanos fasti fuerint dies, quive nefasti, quique comitiales, elegantissime notavit Ovidius, qui etiam dies nefastos primo, & deinde fastos explicavit his versibus:

Ne tamen ignores variorum jura dierum, *Ovid. lib. 1. Fastor.*
Non habet officii Lucifer omnis idem.
Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur:
Fastus erit, per quem lege licebit agi.
Neu toto perstare die sua jura putaris.
Qui jam fastus erit, mane nefastus erat.

Nam

Nam ſimul exta Deo data ſunt, licet omnia fari;
Verbaque honoratus libera Prætor habet.
Eſt quoque, quo populum jus eſt includere ſeptis:
Eſt quoque, qui nono ſemper ab orbe redit.

Tria autem verba quæ nefaſtis diebus ſilebantur juxta Ovidium hæc ſunt: *Do. Dico. Addico.* per quæ Prætores ſententiam ferre conſueverant. Reliquas autem notas, in quibus vel feſta, vel memorabile aliquid notatur in Tabula, ſic interpretare:

FELICIT IN CAP - - - Felicitati in Capitolio.
- - CIS AVGVST - - - Templum vel Feſtum
CONSTITVIT - - - Pacis Auguſtus conſtituit.
COMM H-S CCCXXC Commeatus, vel Commiſſi (hoc eſt Annonæ) ſeſtertia trecenta octoginta.
DIVI IVL - - - - - - - - - Divi Julii (nempe Cæ-
NATALIS - - - - - - ſaris) natalis dies.
MERCATVS DIES V. Mercatus (hoc eſt nundinarum) dies quinque.
DIES ALL AR - - - - - Dies Allienſis atra.

De qua illud notandum, inter atras hanc diem recenſitam ob cladem quam Romani retulerunt a Gallis Senonibus apud Alliam fluvium in Sabinis; qui hodie dicitur *Caminate*, aut *Rio de Moſſo*; ac proinde dies Allienſis; qua vel iter ipſum ſuſcipere infauſti ominis putabatur: unde Ovidius amatorem, morbum expellere conantem, hortatur ut fugiat, etiamſi dies ſit Allienſis:

Ovidius in Remed. amoris.

Nec pluvias vites, nec te peregrina morentur
Sabbata, nec damnis Allia nota ſuis.

TI

TI CLAV - - - - - - - - -	Tiberius Claudius.
AVG ALEXAND - - - - RECEPIT	Auguſtus Alexandriam recepit.
DIVVS IVL. HISP. VIC	Divus Julius Hiſpanos vicit.
DIVVS IVL PHARS - - VICIT	Divus Julius Pharſaliam vicit.
DIANAE IN AVEN - -	Dianæ in Aventino.
AVGVST. TRIVMP - -	Auguſtus triumphavit.
POR NP FER PORTVN - - - -	Portunalia. Nefaſtus primo. Feriæ Portuni.
AEDIS DIVI IVL. DED - - -	Ædis Divi Julii dedicatio.
VIN F AVGVSTVS EXCESS - -	Vinalia. Faſtus. Auguſtus exceſſit.
INFER. L. CAESARIS	Inferiæ Lucii Cæſaris.
COMM - - - - - - - - - - -	Commeatus, vel Commiſſi, ſeſtertia
DCCLX - - - - - - - - - -	Septingenta & ſexaginta.
INFER DI - - - - - - - - -	Inferiæ Divi, &c.
IN CIR - - - - - - - - - - - IN CIRC.	In Circo.
H-S X - - - - - - - - - - -	Seſtertia decem.
AVG - - - - - - - - - - - - -	Auguſtus ædem
AED APOLL - - - - - - DEDICAVIT	Apollinis dedicavit.
INFER GER MANIC - - - - - - -	Inferiæ Germanici.
VERN. DIES. FE ST - - - -	Vernani dies feſtus.
DIVVS AVG TOG - - - RILEM SVM - - - -	Divus Auguſtus togam virilem ſumpſit.

AKNOVF - - - - A, ſive prima dies octidui. Kalendis Novembris. Faſtus.
LVD. PLEB COM H-S DC Ludi Plebeji. Commeatus, vel Commiſſi, ſeſtertia ſexcenta.
AGRIPP IVL NAT - - - Agrippinæ Juliæ Natalis.
EQVOR. PROB - - - - - Equorum probatio.
L. AVG NATAL - - - - - - - - Liviæ Auguſtæ Natalis.
SOL. IN SAGITT - - - - - - - - in Sagittario.

In hujuſmodi autem notis explicandis me quamminimum a vero aberraſſe mihi blandiar. Ceterum rem totam doctiorum judicio diſquirendam permitto. Hæc habui quæ de hac vetuſtiſſima Tabula, ſeu potius Tabulæ fragmento Antii reperto dicerem, tum ut Antiatibus monumentis, quorum hic ſermo, hoc quoque tam præclarum adjungerem, tum maxime ut Alexandro Albano Cardinali Ampliſſimo Clementis Undecimi Pontificis Maximi fratris filio hanc qualemcumque gratiam referrem ob ejuſdem Tabulæ exemplar in æs inciſum mihi communicatum. Huic autem Viro Clariſſimo, & eruditorum hominum Mæcenati benevolentiſſimo ac beneficentiſſimo ſcito, te, Lector, debere pro iis quoque quæ infra ejus nomine notata ponuntur, Antii erutis vetuſtis monumentis. Ejus ſiquidem ſtudio & impenſis noviſſime effoſſa ſunt, & in ejuſdem celeberrimo Muſeo ea qua par eſt cura aſſervantur in publicum Literariæ atque eruditæ Reipublicæ, cujus bono maxime Vir hic Clariſſimus ſtudet, præſidium atque ornamentum.

C A-



Imp. Aelius Hadrianus e ruinis Antiatum

Ex Musaeo Alexand. Card. Albani



Imp. Septimius Seuerus e ruinis Antiatum

Ex Musaeo Alexand. Card. Albani

CAPUT IIII.

De templis Antiatum.


UAMQUAM omnium privatorum publicorumque ædificiorum magnificentiſſima ac celebratiſſima fuerint templa Antii, de iis tamen hactenus nullam mentionem feci, quod eorum fama ac nobilitas peculiarem ſibi locum depoſcerent ad deſcribendum. Nunc itaque de iis dicam; & quoniam quidem templum Fortunæ omnium templorum pariter fuit celeberrimum, de illo, ſimul ac de ceteris ſcripſero, ſingillatim perſequar omnia. Plura itaque Antii, ut in urbe antiquiſſima ac florentiſſima, quondam fuerunt, quorum omnium vetuſta religione primum habitum eſt templum Veneris Aphroditis, ſive Aphrodiſiæ, ab Aſcanio conditum, a quo deinde & urbem ipſam Aphrodiſium aliquamdiu vocatam pluribus narravi capite primo. Locus hujus templi in littore fuit ad latus Neroniani portus, quod Neptunium oppidum reſpicit; ibi enim hodie quoque e regione hujus loci viſuntur rudera baſilicæ Æſculapii. In altero itaque latere oppoſito Romam verſus jacta fundamenta Aphrodiſii templi crediderim, quod & innuunt ruinæ & lata area templi rudera exhibens; quæ conjectura non leviter antiquorum, Græcorum præcipue, more confirmatur, a quibus Arcades, duce Evandro, & Trojani, Ænea duce, Numina & ſacrificia quamplurima in Latium attulerunt. Illi ſiquidem templa Veneri, quam e maris ſpuma vel ipſo vocabulo natam jactabant, ad mare in ipſo littore ædificare conſueverant.

1. Paufan. in Attic. five l. 1. pag. 2.
2. Ibid. pag. 47.

1. Sane in Piræo Veneris ædes antiquiſſima fuit mari proxima. 2. In Caria quoque Aphrodiſienſes fanum Veneris, quam Aphrodiſiam vocabant, prope maris littus ædificarunt, in quo effoſſus erat puteus aquæ marinæ, quam in Deæ honorem guſtabant.

3. Macrob. Saturn. l. 1. c. 12.

Perperam proinde Cincius 3. & Varro ſcripſerunt, Veneris Numen & nomen neque ſub Regibus Romanis, neque ſub Latinis Græcum, vel Latinum fuiſſe, cum ex modo narratis contrarium omnino conſtet. Quin immo Æneas ipſe in Sicilia & Græcia aris templiſque Veneri Genitrici conſtitutis, ſimul ac in Italiam venit appulitque ad Laurentinum littus, 4. Veneri Genitrici templum dicavit; cumque 5. Mezentius Rex Etruſcorum legatos miſiſſet ad Æneam, qui aliquot vini amphoras quotannis peterent, atque ita fœdus inirent; conſtat, Æneam vino Diis conſecrato, voviſſe numinibus ipſis, vinum quod Mezentius petebat, daturum, ſi viciſſet. quod ubi impetravit, quidquid vini expreſſum fuit eo anno, in templo Veneris effudit: unde mos in Romanos eſt deductus ac Latinos reliquos, Veneralibus, feſto nempe die Veneris, multum vini e templis profundendi. Romulus etiam Venerem coluit tamquam generis ſui auctorem, idque Albanorum Regum omnium exemplo ductus, qui Veneri ſacra fecerunt. Certe Romulus 6. Aprilem menſem Veneri dedicavit, qui proinde Veneris menſis eſt appellatus juxta quamplurima teſtimonia, tum illud maxime:

4. Solin. in Polyhiſtor. de Ital. ejuſq. laud.
5. Plutarch. in Problem. Feſt. de verbor. ſignif.
6. Macrob. ubi ſup.
7. Horat. Od. 11. l. 4.

7. Idus tibi ſunt agendæ,
Qui dies menſem Veneris marinæ
Findit Aprilem.

Conſtat pariter, ante Romam Conditam, Laurenti, Lavinii, Albæ, Antii, aliiſque in Priſcorum Latinorum

oppi-

oppidis templa ac ſacerdotes Veneri dicatos fuiſſe, Veneriſque nomen ac Numen Romanos ab Latinis accepiſſe.

Jam vero Veneris templum Antii ad ætatem uſque Imperatorum duravit, quod ex inſcriptionibus quas inibi effoſſas exhibeo manifeſtum eſt. Earum prima ſic habet:

8. VENERI VESTINAE
L. IVLIVS KARICVS CVM VOLVNTILLA
SEVERA VXORE

8. Gruter. pag. 1069.

Altera autem ſic: 9.

9. Ligor. v. Morpho.

VENERI VERILI MORPH:
SACRVM
TI: CLAVDIVS T. F: CLAVD:
BLANDVS TRIBVN: LEG: III
PARTHICAE VOT: SVSCEPT: L. M.

Ex hoc lapide conſtat, in templo Veneris Antiatis ſacellum fuiſſe Veneri Morphæ ſive Morpho dicatum; hujuſque lapidis ſimilem omnino alium refert Reineſius 10. in agro Vejenti repertum, in oppido quod appellant: *Civita Caſtellana*. is autem ſic legitur:

10. Reineſ. Antiq. Inſcript. par. 1. claſ. 1. inſcript. 95. pag. 128.

VENERI SANCTAE MORPHO
SACRVM
T. CLAVDIVS T. F. CLAVD.
MIL. LEGIONIS III PARTHICAE
VOT. SVSCEPTO LIBENS
L. D. D. D.

Ex quibus titulis ac inſcriptionibus habes, eumdem

Ti-

Titum, vel Tiberium Claudium Veneri vota ſolviſſe tum Antii, tum in agro Vejenti, ac ipſis Vejis, ſi oppidum Civitas Caſtellana in Vejorum ruinis, quod multi ajunt, fuit excitatum. Antiatem vero Venerem Virilem, Vejam ſive Vejentem Sanctam appellavit. Ceterum Veneris Virilis ſive Morphæ vel Morpho cultum a Græcis Antiates acceperunt. Siquidem refert Pauſanias 11. fuiſſe apud Lacedæmonios templum Veneris, in quo ſignum ſive ſtatua erat Veneris armatæ, ideſt Virilis. erat etiam altera ſuperſtructa ædes, tamquam tabulatum alterum; in ea autem æde Morphus erat, nempe cella Veneris Morpho, ubi ſimulacrum ſedebat cum galericulo & compedibus, quos addidiſſe dicebant Lacedæmones Tyndareum, cujus nomen propter filiarum adulteria famoſum evaſerat; quo innueret, quam integra ac ſtabili fide erga viros uxores eſſe deberent. Crediderim itaque, templo Veneris Antiatis vel adhæſiſſe, vel ſupraſtetiſſe ædem, ſive ſacellum, ſive cellam Veneris armatæ & Virilis aut Morpho, ſcilicet cum galericulo & compedibus, ubi mariti pro fide ab uxore ſibi ſervata vota facerent, ac ſolverent; ut factum ab Ti. Claudio milite Legionis Tertiæ Parthicæ fide ſibi ab uxore ſervata, teſtatur inſcriptio. Quæ Veneris Morpho colendæ cauſa vero proxime omnium accedit; quamvis 12. Lactantius cultum armatæ Veneris apud Lacedæmonios ex alia cauſa, quam ipſe refert, ortum habuiſſe commemoret.

Sane ſimulacrum præcipuum Veneris, quod fuit in hoc Antiati templo, puellæ fuiſſe e concha exeuntis, vel manu concham geſtantis, roſis aliiſque floribus coronatæ, ex more ſic apud profanos Venerem Aphrodiſiam effingendi deducitur. Licet 13. enim quandoque Venerem repræſentaturi puellam fingerent teſtudinem

11. in Laconic. ſeu l. 3. pag. 190.

12. De falſ. relig. lib. 1.

13. Plutarch. de Præcept. connub. & in Sympoſ. l. 5. c. 10. Euſeb. l. 3. Præp. Evang. Roſin. Antiqu. l. 2. c. 10.

nem pede calcantem, ut plurimum tamen priori allata figura eam exprimebant. Sacerdotibus ac ſacrificiis non caruit hoc templum & ſimulacrum. In laudibus autem quas Antiati Veneri ſacrificuli decantabant, 14. illud præcipuum erat, quod illam nomine Genitricis appellabant. Donaria quæ illi offerebant in ſacrificiis, erant uva, ficus, oliva, ac libum, ex Tomaſini 15. eruditiſſimi teſtimonio: feſtumque Deæ, propter ludos quos Antiates tribus diebus continuis edebant, percelebre fuit in Latio, ut videre eſt in tomo primo hujus hiſtoriæ, referamque fuſius, ubi de Ludis.

14. *Macrob. Saturn. l. 1. c. 12.*

15. *De Donar. c. 26.*

In eodem templo veriſimile eſt, ſacellum, ſive cellam, ſive aram, aut certe ſimulacrum Martis extitiſſe; nam prope littus fuiſſe Antii ædem Martis teſtatur effoſſus inibi lapis cum titulo: 16.

16. *Ligor. ver.* Goramus, *& ver.* Arcius.

MAVORTIO VLTORI
SACRVM
L. ARCIVS L. F. GORAMVS
MIL. LEG: III. PARTHIC:
VOT. SOL:

Quem morem Veneri ſimul ac Marti dicandi eamdem ædem fuiſſe apud profanos omnes communem, notat Claudianus: 17.

17. *Claudian. Eidyllio 5.*

Mavors, ſanguinea qui cuſpide verberat urbes,
Et Venus, humanas quæ laxat in otia curas,
Aurati delubra tenent communia templi.

Idemque animadvertit 18. Pauſanias in Corinthiacis, dum narrat, templum fuiſſe Argis aditu duplici, altero quidem Orientem, altero vero Occidentem verſus ſpectante, atque in illo Veneris ligneum ſimulacrum, in hoc autem Martis ſignum poſitum fuiſſe. Quem mo-

18. *p.* 130.

morem ab Græcis deductum Latio invectum crediderim ab Ænea, Latinosque in eodem templo utrique Numini sacrificasse. Certe Latinos Priscos Martem coluisse vel ex illo Ovidii constat: 19.

19. Ovidius l. 3. Fast. & vet. interp. in eum loc.

Mars Latio venerandus erat, quia præsidet armis.
Arma feræ genti remque decusque dabant.

In quem locum vetus commentarium morem, quem dicimus, communis templi Veneri Martique dedicati confirmat. Sicuti vero inter præcipuos titulos quibus prisci illi Venerem invocabant, 20. ille erat Genitricis, ita Martem quoque Patris appellatione laudabant. siquidem 21.

20. Macrob. l. 1. c. 12.

21. Ovid. l. 1. Fast.

Hæc generis princeps, ipsius ille pater.

Erat quoque Antii vetustissimum fanum Æsculapii ab exordio Reipublicæ Romanis maxime religiosum propter miraculum quod jactarunt legati Pop. Romani Epidaurum missi primo bello Punico. Cum enim Romæ totos tres annos pestis fœdissime grassata esset, finem diuturni mali Senatus Populusque Rom. impetraturus sacerdotibus negotium dedit placandorum Numinum peculiari aliqua ratione exquisitisque sacrificiis. quod illi præstituri, Sibyllinos libros inspexerunt, seque ab iis monitos vulgarunt, tum demum Romæ pestilentiam cessaturam, si ab Epidauro Æsculapius foret accersitus. Habebatur is Apollinis filius, medicæque artis Deus, sanandisque ægrotis quibuscumque ab eodem Apolline præpositum Numen, atque Epidauri in Illyrici maris ora summa apud profanos illos religione colebatur. Legatis itaque ab Senatu Epidaurum missis acceptoque ab Epidauriis responso, ut, quidquid salubre patriæ Romanæque Reipublicæ futurum crederent, pro suo jure sibi sumerent, anguis eximiæ magnitudinis, quem Epidaurii tamquam Æscula-

la-

lapium ſive Æſculapii Genium venerabantur, in Romanorum legatorum paratam triremem ſponte ſua, ſi credere dignum eſt, ingenti miraculo bonoque omine, ut ipſi putabant, conſcendit. Tum legati voti compotes facti, gratiis actis, ingentique gratulatione poſt acceptum ab Epidauriis Æſculapii illius rite colendi ordinem ab Epidauro læti ſolverunt. Felici uſi navigatione Antium appulerunt; anguiſque, qui ſemper in reliquis portubus in navigio remanſerat, hic repente e triremi proſiliens ad Æſculapii Antiatis ædem in littore ſitam contendit. Erat in ejus ædis veſtibulo myrtetum crebra arbore conſitum, cui eximiæ altitudinis palma imminebat. Hanc ſerpens arcte complexus ſpiriſque circumdans triduo hæſit, Antiatis veluti Æſculapii hoſpitio uſus. Cum autem cibis appoſitis, quibus veſci conſueverat, eodem manſurus videretur, magnumque timorem legatis incuſſiſſet, ne non vellet exinde Romam aſportari, triduo elapſo ſeſe in navim 22. recepit, ac ad vehendum Romam reſtituit. Quæ præſtigiæ miraculi loco ac Æſculapii Numinis patrocinii locuples veluti teſtimonium a compluribus profanis ſcriptoribus referuntur, ab Ovidio præcipue his verſibus: 23.

22. *Liv. lib. 10. Val. Maxim. l. 1. c. 8. de miracul. tit. de peſtil. Voſſ. de Idol. l. 1. c. 40.*

23. *Lib. 15. Metamorph.*

Et tellus Circæa, & ſpiſſi littoris Antium.
Huc ubi veliferam nautæ advertère carinam,
(Aſper enim jam pontus erat) Deus explicat orbes;
Perque ſinus crebros & magna volumina labens
Templa parentis init flavum tangentia littus.
Æquore placato patrias Epidaurius aras
Linquit, & hoſpitio juncti ſibi Numinis uſus
Littoream tractu ſquammæ crepitantis arenam
Sulcat, & innixus moderamine navis, in alta
Puppe caput poſuit.

Quæ omnia ſatis aperte locum templi Æſculapii deſignant. ſcilicet prope antiquum Antii portum priuſquam Neronianus a Nerone excitaretur, quo in loco rudera inſignis templi, plurium ædium & ædicularum viſuntur proxima portui Innocentiano, & Neroniano; cernunturque ibi effoſſæ detectæque cellæ mira arte variis avibus fruticibuſque depictæ, in quibus degebant ſacerdotes ſacrificuli & ſacrorum miniſtri, præcipue quod extra pomœria templum Æſculapio ædificari mos erat teſte Feſto, confirmaturque hic mos 24. ex templo Æſculapii Romæ ædificato in Inſula Tiberina, 25. quæ antiquitus fuit extra pomœrium Urbis. Locus ruderum itaque maxime congruit priſcæ conſuetudini ædificandi Æſculapio templum extra pomœrium. erat enim hic locus extra mœnia antiquæ urbis Antii. Quo autem tempore, quove auctore hoc templum fuerit excitatum, ſcriptorum nullus commemorat. quamquam Ligorius exiſtimet, illud vetuſtiſſimum fuiſſe; ſubſcribit enim ſententiæ Lactantii aſſerentis, Æſculapii cultum ab Ænea vel Evandro Latinos accepiſſe. Verba Lactantii hic recitabo: 26. *Æſculapius & ipſe non ſine flagitio Apollinis natus, quid fecit aliud divinis honoribus dignum, niſi quod ſanavit Hippolytum? mortem ſane habuit clariorem, quod a Deo meruit fulminari. Hunc Tarquinius de illuſtribus viris diſſerens ait, incertis parentibus natum, expoſitum, & a venatoribus inventum, canino lacte nutritum, Chironi traditum didiciſſe medicinam; fuiſſe autem Meſſenium, ſed Epidauri moratum. Tullius etiam Cynoſuris ait ſepultum. Quid Apollo pater ejus? Nonne ob amorem, quo flagravit turpiſſime, gregem pavit alienum, & muros Laomedonti extruxit cum Neptuno mercede conductus?* Crediderim tamen, Æſculapium inter Deos Indigetes a Priſcis Latinis habitum, antiquioremque Æneæ adventu

24. De Verb. ſignific. l. 9.
25. Liv. Val. & Ov. loc. ſup. cit.
26. Lib. 1. de falſ. relig.

in Latio cultum habuisse. Certe ex 27. Dionysii testimonio comperimus, Latinis plures fuisse Deos Indigetes Ænea antiquiores, Herculem videlicet, Liberum, ipsum Æsculapium, Saturnum, Castorem & Pollucem. Sane Pausanias 28. in Corinthiacis narrat, Epidauri in templo Æsculapii stetisse antiquam pilam, & in ea conspicuis notis incisum fuisse: *Ab Hippolyto Thesei filio viginti equos Æsculapio dedicatos.* hic autem patrem fugiens, quod de incesto ab noverca interpellatus minime assentitus fuerat, ab eadem novercali calumnia tamquam de vi sibi intentata appetitus, ab equis monstro marino ab Neptuno immisso conterritis per saxosa præruptaque loca distractus & extinctus, ab Æsculapio in vitam fuerat revocatus, dimisso quod ex genere necis traxerat nomine 29. Virbius ab Aricinis appellatus, quod in eorum silva in Dianæ fide, cujus venatoria studia fuerat secutus, vixisset; ut late tradunt fabulæ. Jam vero hic idem Hippolytus in Italiam advectus, ut pervetusta apud Aricinos fama vulgaverat, duo Ariciæ templa dicavit, Dianæ alterum, alterum Æsculapio Liberatori, quod multæ religionis fuit, testimonio Pausaniæ aliorumque veterum scriptorum. Ab Aricinis itaque populis Antio proximis, qui longe ante Æneæ adventum ab Hippolyto cultum Æsculapii acceperant, Antiates hunc ipsum edoctos vel pestis vel alterius certe morbi expellendi gratia, quibus sanandis nullum Æsculapio præsentius habebatur Numen, impetratoque quod poposcerant, templum ædificasse non abnuerim. cui sententiæ adhæsit quoque 30. Marsus in notis ad Silium Italicum. Hoc templum a C. Lucretio Prætore Licinii ornatum pictis tabulis, quas e Græcia de manubiis Chalcidicis advexerat, memorat 31. Livius. Priscus etiam lapis idem tem-

27. *Lib. 1. Voss. de Idol. l. 1. c. 12.*

28. *Lib. 2. pag. 235.*

29. *Ovid. l. 15. Metam. & 6. Fast. Sil. Ital. lib. 13. de Bel. Punic. Serv. in 7. Æn. Hyginus in Hippol.*

30. *Lib. 4. de Bel. Pun.*

31. *Liv. lib. 43.*

plum ſacello & ſigno Hygiæ auctum teſtatur his literis: 32.

32. Ligor. v. Phagon.

AESCVLAPIO ET
HYGIAE
SACRVM
M. VERCINIVS
M. LIB: PHAGON
MEDICVS ANTIAT:
VI VIR AVGVSTALIS
VOTVM SOLVIT LIBENS MERITO.

Hygiam autem filiam Æſculapii fuiſſe 33. dicebant: refertque Pauſanias in Achaicis, apud Ægienſes fuiſſe aram Æſculapio ſacram, in qua Hygiæ ejus filiæ ſignum erat. Epionis quoque in hoc templo ſtatuam vel ſacellum extitiſſe, utpote Æſculapii uxoris, ex reliquiis cujuſdam lapidis, in quibus hæ notæ videntur: EP. S. licet ſuſpicari, cum Epidauri in templo hujus Numinis Epionem quoque cultam tradat Pauſanias: 34. quo exemplo, & Machaonis & Podalirii Æſculapii filiorum ſigna hic fuiſſe veriſimile eſt, cum apud Meſſenios 35. in patris templo uterque ſua ſigna habuerint.

33. Tomaſ. de Donar. c. 16. Fabrett. Inſcrip. c. 6. pag. 461.
34. In Corinthiac. pag. 138.
35. Pauſan. in Meſſenic.

Prope templum erat porticus impluvium circumdans, 36. quam myrtus opaca ingens obumbrabat. ex quo myrtum nedum Veneri, ſed & Æſculapio ſacram fuiſſe colligitur. quamvis laurum Æſculapio gratam affirmet 37. Feſtus. Porticus autem adhærebat templo non ſine aliqua profanorum illorum religione. Epidauri namque 38. templo Æſculapii theatrum ſumptuoſiſſimi operis hærebat, & porticus, quæ cum diruta eſſet, Epidaurii ægerrime id ferentes, quod & mu-

36. Valer. Max. & Oliver. & Aſcenſ. ibi.
37. Lib. 9.
38. Pauſan. Corinthiac. pag. 235.

mulieres ſub tecto non parerent, & ægri ſub dio animam agerent, Antoninum Pium ſupplices adierunt, impetraruntque ut ipſe porticum reſtitueret, domumque ædificaret, ubi ad moriendum ægris, & ad pariendum mulieribus locus foret. Tanta enim erat priſcorum inſania, ut ædes ſacræ Æſculapio pro tuto ægrorum, ac parturientium aſylo haberentur. iccirco plures erant qui Numini ſe ſacrabant 39. ex voto, ſervique Deo ſacrati dicebantur, atque domicilio ſacri ſepti donati Æſculapio ægriſque perpetuo inſerviebant. Quare ne Antiatibus ſimile ac Epidauriis incommodum ac ſupplicium ab Æſculapio accideret, porticum hærentem templo rite ab iiſdem excitatam crediderim.

39. *Pauſan. Phocic. pag. 673.*

Quæ religio ut altius populorum animis inſideret, ſacerdotes Æſculapii multa 40. morborum remedia monſtrabant, quibus ab Æſculapio ſibi traditis certa ſalus ægris reſtitueretur. tale eſt quod innuit Plinius his verbis: 41. *Adverſus venenata animalia inciſam lapide unam compoſitionem verſibus in limine ædis Æſculapii: Serpylli duum denariorum pondus.* Recuperatam itaque valetudinem unius certe Dei Optimi Maximi beneficio, qui tamen profanorum mentibus non illuxerat, Æſculapio acceptam referentes ægrorum bene multi non tantum in Divi ſoſpitatoris honorem, ſed in Aſclepiadarum quoque gratiam ſua nomina parietibus inſcribere & columnis 42. ac pilis inſculpere, adjecta morbi ſpecie etiam ſecretioris, ex quo convaluerant, conſueverunt. Aſclepiadæ autem, ne cui vocabulum faceſſat forte negotium, ſacerdotes erant ipſius Æſculapii, quem in marmoribus etiam Aſclepium nominatum accepimus. Aſclepiadarum meminit inſcriptio e ruderibus templi Antiatis Æſculapii nuper effoſſa, his verbis:

40. *Idem Achaic. pag. 454.*

41. *Hiſt. Natur. lib. 20. cap. 24.*

42. *Pauſan. Corinthiac. pag. 235.*

D.

D. ☧. M.
AEMILIA ASCLEPIAS. F.
ASCLEPIADI. FIL. Ꝯ, V.
ANN, XIIII. M. V. D.
X. B. M. F.

Circa templi parietes tabellæ quoque visebantur suspensæ, in quibus genus morbi depictum erat, & quandoque ipsa etiam medicamenta parietibus affixa fuisse 43. legimus, licet in templis Æsculapii tabellas hujusmodi adjuncta porticus exciperet. Cumque salus restituta pro miraculo haberetur, sacerdotes ipsi rem totam tabella describi, ingens veluti miraculum, jubebant. Libet hic harum tabellarum, quæ plurimæ tum Romæ tum alibi per Latium sunt effossæ, exemplum aliquod attexere, quo tum antiquorum mos iste, tum misera eorumdem credulitas planius constet. En aliquot.

43. *Tomasin. de donar. c. 34.*

Hisce diebus Cajo cuidam cæco oraculum edidit, veniret ad sacrum altare, & genua flecteret, deinde a parte dextera veniret ad lævam, & poneret quinque digitos super altare, & elevaret manum, & poneret super proprios oculos. & recte vidit, populo præsente & congratulante, quod grandia miracula fierent sub Imperatore nostro Antonino.

Lucio affecto lateris dolore & desperato ab omnibus hominibus oraculum edidit, veniret, & ex Tribomo tolleret cinerem, & una cum vino commisceret, & poneret supra latus. & convaluit & publice gratias egit Deo, & populus congratulatus est illi.

Sanguinem revomenti Juliano desperato ab omnibus hominibus respondit Deus, veniret, & ex Tribomo caperet nucleos pini & comederet una cum melle per tres dies. & convaluit, & veniens publice gratias egit præsente populo.

Vale-

Valerio Apro militi cæco oraculum reddidit Deus, veniret & acciperet sanguinem ex gallo albo admiscens mel, & collyrium conficeret, & tribus diebus uteretur supra oculos. Et vidit & venit & gratias egit publice Deo.

Has atque alias bene multas exhibet eruditissimus 44. Tomasinus. quia vero legentibus hanc historiam procul dubio cupido incesset cognoscendi qua tandem ratione curationes istæ fierent a malis Geniis, (siquidem hi demum profanorum Dii erant) perpaucis me expediam. Primum itaque omnium in tanta, qua nunc vivimus, veritatis luce nullum Numen Æsculapium fuisse, ac proinde nullam illi in sanandis morbis miraculo potestatem fuisse satis constat; hæc vero prodigia, de quibus tabellæ, & sexcenta alia ab profanis historicis prodigii loco relata, vel meras malorum Geniorum præstigias fuisse ad humanum genus in dies magis magisque decipiendum, rem, altissimum ob consilium nobisque non investigandum, permittente Deo Optimo Maximo; vel si solidi aliquid ac veri in iis inerat, id naturæ vires minime excessisse. Fieri enim potuit, ac sæpius contigisse crediderim, ut morbo aliquo laborantes cujus ignorarent medici medicinam, (quod nimium usuvenire conquerimur) ad oraculum confugerent, opem petituri; malusque Genius, cui rerum naturalium multiplex inest scientia, herbam, aliudve opportunum remedium commonstraret, cujus virtute ægri ex morbo convalescerent, quam, ob medicinæ ignorationem, miraculo tribuerent. Sæpius autem homines prius a malis Geniis male mulctatos ac deinde pristinæ integritati restitutos passim legimus in annalibus sacris piorumque virorum commentariis.

44. *De donar. c. 6.*

Ceterum tantam antiqui hujusmodi oraculis fidem adhi-

adhibebant, ut in Æſculapii templo aliquando noctu dormirent, ſomniumque ſibi exhibitum oraculi vocem interpretarentur. teſtis antiquus lapis:

ASCLEPIO SIVE AESCVLAPIO
VISV MONITVS
POSVIT.

45. Plutarch. in Lucull. Plaut. in Curcul. act. 1. Scen. 1.

Reſponſo ſcilicet per quietem accepto 45. ac viſione habita. quod & innuit Plautus in Curculione:

Ideo fit, quod hic leno ægrotus incubat
In Æſculapii fano.

46. De Curat. per ſanguin. miſſ. p. 23.

Et ipſe Medicorum princeps Galenus 46. confirmat: *Miniſter Dei, Pergami,* inquit, *diutino lateris cruciatu laborans liberatus eſt, arteria in ſumma manu inciſa, aggreſſus & ipſe illud inſomnii monitum.*

47. Cic. l. 3. de Nat. Deor. Sidon. Apollin. l. 4. epiſtol. 3.
48. Plutarch. in Pyth. Orac. Pauſan. l. 10. p. 673.
49. Triſtan. numiſm. to. 2. p. 179.
50. Lucian. in Philopſeude.
51. Plutarch. loc. cit. Feſt. l. 9.

Ex quibus omnibus ſatis conſtat, cur in Antiatis Æſculapii templo fuerit porticus, ædeſque magnificentiſſimæ illi adjunctæ fuerint, ac in veſtibulo conſita myrtus, ut retuli. Ceterum Æſculapii ſimulacrum erat hominis 47. promiſſa barba, bacillum nodoſum, cui advolvebatur ſerpens, manu tenentis. aliquando 48. etiam lectum ad dextrum illius latus effingebant, & quandoque bacilli loco gallum gallinaceum geſtantem repræſentabant. Et in quibuſdam 49. templis draconem ad pedes ſimulacri jacentem adjungebant. Jacebant quoque ante illius pedes oboli ac numiſmata argentea, & laminæ, 50. quas valetudini reſtituti ope Numinis, ut putabant, voti rei paſſim offerebant. Jam vero Æſculapio gallinas a ſacrificulis mactatas 51. legimus.

Quamvis autem Cyrenaici in Creta inſula capras eidem mactarent; Epidaurii tamen, quorum in Æſculapium

lapium religio celeberrima, a capris potiſſimum in ejus ſacrificio abſtinebant. Hanc autem rei rationem reddebant; quod nempe Phlegyæ 52. inſignis militis filia dum uterum ferret ex Apolline, ne a patre probrum detegeretur, in eorum finibus puerum enixa, illum in monte expoſuerit. expoſitoque infanti lac præbuiſſe capram, quæ in grege ſaltum forte paſcebat. Hanc dum diu aberrantem peragrato ſaltu fruſtra Areſthanas caprarius conquiſiviſſet, tandem cum infantulo invenit, quem dum accedens vult tollere, ecce tibi coruſcus ignis ex puero repente exarſit. quo monſtro exterritus paſtor divinum quid illud ſuſpicatus receſſit. Vulgata inde per maria ac terras omnes eſt fama, ſanari ab illo quovis morbo laborantes, quin & mortuos excitari. Epidaurii itaque rei miraculo permoti ac gratiam veluti caprino generi relaturi ob præſtitum infanti Numini auxilium, a capris 53. in Æſculapii ſacrificio ſemper abſtinuerunt. Quin immo capellæ alebantur a ſacerdotibus, quarum lac ægris bibendum præſens veluti & ab Æſculapio eodem educato veluti conſecratum poculum dabant. alebantur etiam ab iiſdem gallinæ gallique gallinacei, quos putabant huic Numini gratos. Ac ne ulla deeſſet tot inter nugas ſuperſtitio, ægroti faces accendebant 54. in templo, Numen ſibi eo honore propitium facturi. quod malus Genius nullum veri Dei cultum intactum reliquerit, quem non ſibi prave vindicando vitiaret fœdaretve.

52. Pauſan. in Corinthiac. ſeu l. 2. pag. 133.

53. Pauſan. in Phocic. pag. 673.

54. Pauſan. locis allatis. Smet. Antiq. p. 157. Harduin. de numm. urb. p. 496.

Hæc autem tot tantiſque ſcriptorum teſtimoniis ſtabilita ac confirmata ſatis Lactantii 55. ſententiam arguunt, qui canino lacte Æſculapium educatum putat, & Roſinum canes adhiberi in ejus templo aſſerentem, quod ille canis uberibus fuerit nutritus. cum Pauſa-

55. Lactan. loc. adduct. Roſin. Antiq. l. 2. p. 230.

nias ex vulgata omnino ac communi omnium ſama Æſculapium non canino, ſed caprino lacte educatum commemoret. Hinc quoque Pauſanias idem illuſtratur, qui matris Æſculapii nomen ſubticuit, cum ille Coronidis filius diceretur; explicarique commode poteſt Cicero, 56. qui tres Æſculapios agnovit, cum Latini unum ſemper coluerint morborum præſidem, ut ex Ovidio, Diodoro, ceteriſque refert 57. Volaterranus. Ceterum in templo Æſculapii Antii fuiſſe etiam inter cetera Junonis ſignum, colligitur ex lapidis fragmento in ejuſdem templi ruinis eruto cum his notis:

56. *Lib. 3. de Natura Deor.*

57. *Philolog. l. 3. de Apolline.*

- - - - - - - - - - TVM
O. AVIO. ANNIAN
AED - - - - - -
- - - - EOS IVNONIS SIGNVM
- - - - - - - - - - - - - - - - - - -

Apollinis etiam templum Antii fuiſſe fidem faciunt inſcriptiones antiquæ Antii effoſſæ, quas afferam, ubi de ludis, 58. & ſignum Apollinis Antii repertum translatumque in hortos Vaticanos. Inſcriptio etiam hujuſmodi in Antiatis Æſculapii templo nuper effoſſa, quamvis vetuſtate admodum exeſa & truncata:

58. *Ligor. v.* Anthia.

T. APOLLINIS
AQVAE PEN. MLE
FOR. BOARIVS
PORT. EX NEPTVNI
FORI OLITORIVS
HORREA
BAL. FAVSTINA

Templum tamen Apollinis partem templi Æſculapii fuiſ-

fuiſſe multa perſuadent. Ovidius 59. in primis in allatis verſibus, ubi anguem Epidauro advectum, quem Æſculapium jactabant, ad terram Antii prolapſum narrat, in Apollinis Antiatis parentis ſui templum deſcendiſſe commemorat, cum tamen Livius ac Valerius Maximus eumdem anguem Æſculapii templi hoſpitio uſum notaverint, & priſcus lapis Antii effoſſus, & a me nuper exhibitus, Antii ædem Æſculapio ſacram fuiſſe teſtetur. ne ergo mendacii aut certe inſcitiæ ac falſitatis notam alterutri horum auctorum inuramus, Apollinis templum partem templi Æſculapii fuiſſe dicendum. Quam ſententiam mirum in modum deinde confirmat mos antiquorum uno eodemque templo & Apollinem patrem & filium Æſculapium colendi. cujus moris locuples eſt teſtimonium illud apud Tullium in Verrem: 60. *Quid? Agrigenti nonne ejuſdem Pub. Scipionis monumentum ſignum Apollinis pulcherrimum, Æſculapii religioſiſſimo fano ſuſtuliſti?* quod & confirmat Pauſanias 61. in Corinthiacis. Hic mos vero apud aliquas gentes adeo increbuerat, ut Æſculapium non jam ut Apollinis filium eodem templo, ſed ut unum eumdemque ac Apollinem venerarentur binominis veluti Numinis ſimulacrum, ac utrumque ſive unum eumdemque Deum ſub utroque nomine 62. divinationibus, medicinæ, & auguriis præeſſe exiſtimarent. Cur autem Ovidius in allatis verſibus ſolius Apollinis templi mentionem faciat, eam fuiſſe cauſam crediderim, quod Ovidii ætate, ſub Auguſto ſcilicet, propter eximium Apollinis ſignum, theatrum, ludoſque Apollinares, & Antiatis Apollinis famam, Æſculapii templum quod antiquitus potius erat, potiorique religione ac fama celebrabatur, jam veluti adjuncta pars quædam templo Apollinis haberetur; quod & antiqui lapides adducendi,

59. Lib. 15. Metam.

60. Orat. 4. in Verr.

61. p. 235.

62. Macrob. Saturnal. l. 1. cap. 17. 18. & 20.

di, ubi de Ludis agam, ſatis oſtendunt. in his enim ſub Auguſto, Apollinis Antiatis numen & nomen celeberrimum fuiſſe legitur.

Ceterum Apollo, (ut hic velut in loco, rerum quæ de illo narrantur breviarium quoddam paucis conficiam) Æſculapii pater, quem colebant Antiates, natus eſt in Arcadia, ab Arcadibus, quod illis leges dediſſet, Νόμι© dictus. Ob nimiam deinde 63. ſeveritatem regno pulſus ad Theſſaliæ Regem Admetum confugit, cujus juxta Amphryſum amnem armenta pavit, a paſtoribus proinde pro Deo habitus. Huic tribuebant muſicam, medicinam, vaticinium, & jaculandi artem, eumdemque Nymphas Cyrenem, & Daphnem ac Hyacinthum puerum amaſſe jactabant. licet Roſinus, 64. Latinos alium Apollinem Jove ac Latona genitum coluiſſe ſuſpicetur. Ut ut res habeat, Latinos cultum Apollinis multo ante Æneam ab Evandro Arcade accepiſſe non obſcure oſtendit 65. Dionyſius. Signum autem Apollinis Antiatis fuit juvenis impuberis & imberbis læva arcum tenentis, pharetramque ex humero pendentem geſtantis, nudi, & pallium involutum ſupra eamdem lævam gerentis. licet plerique Apollinem pingerent aut effingerent imberbem, dextera ſagittas arcum ac pharetram, ſiniſtra vero citharam tenentem, & ſupra caput tripodem geſtantem; vel dextera Gratias ducentem, ſiniſtra autem ferentem ſagittas, ut videre eſt apud 66. Macrobium. Ex eo autem quod Apollinem Æſculapii patrem imberbem effingerent, ridiculum illud Dionyſii Siciliæ tyranni ortum duxit, quod cum Siculi Æſculapium ſumma religione venerarentur, pretioſumque ejus ſignum barbati hominis aurea barba eidem dedicaſſent, Dionyſius auream illi barbam abradi juſſit, affirmans, mini-

63. *Lactan. l. 1. de falſ. religione. & alii apud Volaterran. Philolog. l. 33.*

64. *Antiquit. l. 2. c. 7.*

65. *Lib. 1.*

66. *Saturn. l. 1. c. 17.*

nime decere eodem in templo filium barbam nutrire, in quo pater imberbis omnino coleretur. quod 67. Cicero & Valerius Maximus Epidaurio Æsculapio Dionysium fecisse, perperam existimarunt. Apollinis sacerdotes hymnum in ejusdem laudem decantabant Pæana dictum, in quo Apollinem sic invocabant: 68. *Apollo Medice, Apollo Musice, Apollo Pæan*: ut ostenderent, se illum ad morbos arcendos, opportunamque illis medicinam adhibendam invocare. quas appellationes & virgines Vestales in carminibus quæ decantabant in honorem Apollinis, usurpabant. quem morem respexit quoque Virgilius memorans: 69.

Lætumque choro Pæana canentes.

Caper albus immolabatur Apollini, alebanturque in ejus templo 70. corvi, accipitres, & aquilæ, tamquam huic Numini grata animantia & sacra. Antiates demum Apollinares ludos quotannis edebant magna pompa, in quibus mimi, pantomimi, musici, poetæ etiam ac medici exercebantur, munusque gladiatorium populo dabant.

Fuit 71. sub templo Apollinis Antiatis spelunca Mithræ dicata. Erat autem Mithra idem cum Sole & Apolline, ut ex dicendis constabit. Patuit hoc ex effosa tabula in loco ubi ex ruderibus ac inscriptis lapidibus templum Apollinis fuisse cognovimus. In ea siquidem notæ quædam, Mithræ sacram fuisse testabantur. Ligorius quoque confirmat, Antii Mithræ speluncam fuisse; quod optime cum priscorum more convenit, qui subtus templa cavernas sæpe ac speluncas tenebrionibus illis suis Diis dicabant, Apollini præsertim sub Mithræ nomine. Sane Ligorius 72. idem ex Rufino refert, Alexandriæ infra Serapidis templum Mithræ specum dicatum fuisse. Erat autem Serapis apud

67. Cic. l. 3. de Nat. Deorum. Val. Max. lib. 1. c. 2.

68. Macrob. Saturn. l. 1. c. 17. & 20.

69. Virg. l. 6. & Donat. & Serv. ibi.

70. Liv. lib. 25. Harduin. de num. urb. p. 573. in addit. Ælian. Var. Hist. l. 7. cap. 18. Porphyr. de abstinent. l. 3. Macrob. l. 1. c. 18.

71. De Turr. Monum. Vet. Ant. in præfat. & c. 1. in fine, & de Mithra c. 1. Ligor. verb. Cabyrio.

72. v. Grotta.

apud Ægyptios idem qui apud Romanos Apollo, te-
73. Lib. de Nupt. Philolog. ste 73. Martiano; quod & Papinius Statius confirmat, ubi Adrastum inducit Solem invocantem variis no-
74. Stat. in fine l. 1. Thebaid. minibus appellatum: 74.

Adsis o memor hospitii, Junoniaque arva
Dexter ames; seu te roseum Titana vocari
Gentis Achæmeniæ ritu, seu præstet Osyrim
Frugiferum, seu Persæi sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mithram.

Ex quibus Lutatius vetus Statii interpres notat, Persas in spelæis coluisse Solem, quem Mithram appellabant, leonis vultu cum tiara, utraque manu bovis cornua comprimentem. Cum autem antiqui Apollinem & Solem eumdem esse crederent, quod Solis effectus Apollini tribuerentur, sacerdotes illi ac poetæ, qui omnia miscebant, ut securus omnino populus
75. Arnob. adverf. gēt. l. 3. Fulgen. Mythol. l. 1. c. 16. 75. humilisque plebecula fabulis fidem adhiberet de Numinum origine, Apollinem Solem & Mithram eumdem fuisse jactabant. quod ex erutis lapidibus confirmatur, in quibus legitur:

76. Ligor. v. Casinate, & Jero-cerix. 76. APOLLINI INVICTO MITHRAE SACRVM
T. AVIDIVS T. F. STELLATINA PRINCEPS
PATRONVS MVNICIP. ET COLONIAE CASIN:
MVNICIP: IIII VIR: QVINQ:
D. D. KAL:
AVGVSTI VINOMALO ET OPILIONE COSS:

APOLLINI INVICTO MITHRAE
SACRVM
PRID. APRILIS IMP: CAES.
VALERIO AVRELIO AVGVSTO II: ET L.
COEIONIO BASSO COSS: FLAVIVS
VA-

VALERIVS GALBVS IEROCERIX DEI SOLIS INVICTI MITHRAE ET ARCHIBVCOLVS DEI LIBERI.

Tradebant ſacerdotes Perſarum & Ægyptiorum, Mithram humi natum in lapide aut terra ex ſolo 77. æſtu libidinis genitum, ignem ſolemque eſſe, ut profani pariter ac ſacri tradunt auctores. Primus autem qui antra in Mithræ honorem dicaret, fuiſſe fertur Zoroaſter, primus Perſarum magiſter. cum enim doceret, Mithram rerum conditorem patremque 78. omnium fuiſſe, antra, quæ conditi a Mithra mundi figuram haberent, illi conſecravit. Quamquam Ligorius, 79. duos Mithræ cultus auctores fuiſſe commemoret, in Aſia quidem Aſtronomum Babylonium & Bactrorum Regem; in Italia vero ac præſertim in Latio piratas, qui e variis Orientis oris ad ejus littora ac maria prædanda convenerant, quos bello 80. piratico devicit ac debellavit omnino Pompejus ille Magnus, anno. V.C.DCLXXXVII. Mithræ myſteria primum Romanis Latiniſque ceteris monſtraſſe auctor eſt Plutarchus. Licet enim Ligorius, 81. primordia cultus Mithræ in Latio referat ad Marci Aurelii Antonini Elagabali, Solis nempe ſacerdotis, tempora; ex lapidibus tamen multo antiquiorem eum cultum in Latio fuiſſe conſtat. Verum quidem & compertum eſt, Elagabalum magna pompa in ſpelæis & antris more Babylonico Mithræ ſacrificaſſe; cujus exemplo ducti aſſentatores populi antra paſſim tum Romæ in quocumque colle, tum in reliquis Latio ac Italia Mithræ dedicarunt: adeoque Elagabali 82. ætate Mithræ cultum maxima incrementa accepiſ-

77. *Juſtin. Martyr Dialog. cum Triphon. pag. 269. Jul. Firmic. lib. de errore Profan. Relig. S. Hieron. l. 1. adverſ. Jovinian. Strab. l. 15. & alii ap. de Turre de Mith. c. 2.*

78. *Porphyr. lib. de Antro Nymph.*

79. v. Grotta.

80. *Plutarch. in Pompejo.*

81. v. Mithra.

82. *Lamprid. & Herodianus in Elagabalo.*

cepiſſe in Italia. Ceterum lapides ante Elagabali ætatem inſcripti Mithræque cultum memorantes, hunc cultum multo antiquiorem Elagabalo ſatis oſtendunt. Lapidum inſcriptiones mox dabo, ex quibus etiam Antii nedum antrum, ſed integrum Mithræ cultum ſtatis nempe ac decretis ſacrificiis & ſacerdotibus fuiſſe multo ante Elagabalum, plane conſtat. En unum: 83.

83. *Ligor.* *v.* Hecate.

HECATE SACRVM
T. FLAVIVS ONCHESTVS AVG. LIB:
SACERDOS SOLI INVICTO MITHRAE
HIEROPHANTA HECATAE
ARCHIBVCVLVS
DEI PATRIS LIBERI ET
HIEROCERYX DEI SOLI PACIFERO
XIIII SACERDOS COOPTAT: COLL: AN: FERON:

Hic T. Flavius forte libertus fuit T. Flavii Auguſti. Erat enim libertus Flaviæ Gentis Imperatoriæ, quæ ante Elagabalum floruit. Crediderim quoque, eum Titi Imperatoris nominatim libertum fuiſſe, cum in inſcriptione & libertum Flaviæ Gentis & Titum ſe appellet. juxta receptum apud Romanos morem libertis patronorum nomina adoptandi. Erat etiam Hieroceryx, quod Græcum vocabulum recte Latine interpretaberis *ſacerdos cornu* ſive *a cornu*, Dei Solis Paciferi Antiatis, quod innuit nota illa compendiaria: *An:*, & *ſacerdos cooptatus Collegio Feroniæ*. Jam vero ecce alios lapides non abſimiles idem teſtantes: 84.

84. *Ligor.* *v.* Minotaurani.

DIS MAGNIS
MATRI DEVM ET ATTYDI

SE-

SEXTILIVS AGESILAVS AEGISIVS V. C.
CAVSARVM NON IGNOBILIS
APHRICANI TRIBVNALIS ORATOR
ET
IN CONSISTORIO PRINCIPVM,
ITEM COGNITIONVM
SACRARVM MAGISTER
MEMORIAE VICARIVS PRAEFECTVS
PER HISPANIAS
VICE S. I. CVR: PATER PATRVM
DEI SOLIS INVICTI
MITHRAE ARCHIBVCOLVS DEI LIB:
TAVROBOLIO CHRIOBOLIOQVE
IN AETERNVM RENATVS ARAM
SACRAVIT D. D. N. N.
VALENTE IIII ET FLAVIO
VALENTINIANO IVN: AVG. COSS:
IDIBVS AVGVSTI.

DIS MAGNIS
VLPIVS EGNATIVS FAVENTINVS V.C.
AVGVR PVB: P. R.
PATER ET HIEROCERYX DEI SOLIS
MITHRAE INVICTI
ARCHIBVCOLVS DEI LIBERI
HIEROPHANTA HECATAE SACERDOS
ISIDIS PERCEPTO TAVROBOLIO
CHRIOBOLIOQVE IDIBVS AVGVSTI
D. D. N. N. VALENTE AVG. COSS:
FELICITER

Ex his inſcriptionibus, ex illa præſertim Titi Flavii Oncheſti, patet, ſacerdotes Mithræ ejuſque ritus ac ſa-

L cra

cra fuisse Antii in spelunca, quam inibi infra Apollinis & Æsculapii templum fuisse commemoravi. Ex his etiam illustratur 85. Apuleji locus, ubi ille videtur innuere præcipuum Mithræ sacerdotem Mithram appellatum; locus 86. item Archelai docentis, Mithræ sacerdotes prophetas nuncupatos; locus demum 87. Epiphanii, ubi narrat, Mithræ assignatos sacerdotes, æditüos, & prophetas. Lapides enim quos modo retuli, sacerdotes Mithræ dicatos commemorant, Mithræ vero præcipuum sive sacerdotem, sive sacrificulum, sive ministrum, non de Numinis ipsius nomine appellatum, nec prophetam vocatum, sed patrem patrum, vel Hierocerya, sive sacerdotum principem, qui veluti sacer nuntius interpres vel præco Solis & Apollinis in antris in terra virgine defossis miroque artificio ornatis, declarabat res sacras Mithræ, ejusdem edebat oracula, divinabat, arcanisque Numinis adhibebatur, quæ ceteros deinde sacerdotes doceret. Hujusmodi autem arcana nil aliud tandem erant, quam nefandum cum Acheronte, malis scilicet Geniis, commercium, a quibus præclari hi sacerdotes Necromantiam, Magiam, & Pharmaciam ad omnem libidinem & avaritiam explendam docebantur. Iccirco Mithræ sacerdotes Magos merito appellat lapis alter apud 88. Ligorium:

85. *Apul. l. 11. Metam.*
86. *Archel. in disput. cum Manet. p. 67.*
87. *In hæresi Manich. n. 3.*
88. *Ligor. loc. rel.*

Q. HETERIVS HARMETIO
N. T.
SACERDOS DEI SOLIS ET
MAGVS AVGVSTI
N. N. ET ETERIA PONTINA
OLLA II.

Vocant quoque lapides principem sacerdotum Mithræ Hie-

Hierophantam Hecates, quod ſacra Hecates declararet. Hecate 89. autem, ut in comperto eſt apud omnes, inferorum Dea eſt habita eadem ac Proſerpina & Perſephone, quæ rurſus in ſilvis Diana & in cælo Luna; de qua diſtichon illud celebratiſſimum:

Terret, luſtrat, agit, Proſerpina, Luna, Diana
Ima, ſuprema, feras, terrore, nitore, ſagittis.

Colebant itaque profani illi Hecaten in iiſdem antris in quibus Mithram; Lunam ſcilicet cum Sole. Necromantes etiam dicti ſunt ſacerdotes iſti, ſcilicet mortuorum divini, ſive per mortuos futura divinantes: ſic enim ſonat Græca vox νεκρομάντης. Si tamen tali eos appellatione appellatos potius dicendum non ſit, quod 90. humanis victimis impie nefarieque mactatis ex earum extis futura inſpicerent, ac divinarent, ac magica ſacrificia ad animos quacumque verſandos facerent; quod Commodum Imperatorem feciſſe, Lampridius 91. memorat. Perſuaſum quoque fuit his ſacerdotibus Hecates, carminibus e cælo Lunam ſe poſſe deducere, quod & vulgus paſſim putabat. juxta quam opinionem cecinit paſtor ille: 92.

Carmina vel cælo poſſunt deducere Lunam.

Quod ſi ab aliis ſacerdotibus ac Magis e cælo Luna forte deduceretur, quod in Lunæ defectu fieri exiſtimabant, ſacerdotes Hecates deficienti Lunæ auxiliabantur cymbalis ac ære pulſatis, eo ſcilicet, ne Luna ſtrepitu impedita aliorum incantationes & carmina poſſet exaudire, quibus e cælo deduceretur; tantæ tamque ſpiſſæ tenebræ antiquorum illorum oculis obvolvebantur, tamque ſtupidi ac ſtipites erant, ut hæc ſibi perſuaderent! Iidem lunares motus addiſcebant edocebantque, multaque medicamenta ſuperſtitioſe conficiebant, quibus in malos Genios ad arcendam eorum

89. *Plutarch. de Iſid. & Oſirid. Dēpſter. ad Roſin. l. 2. c. 19.*

90. *Sozom. l. 5. Hiſt. cap. 16. Socrat. Hiſt. Eccl. l. 6. c. 2. verſionis Valeſianæ.*

91. *Cap. 9. & Porphyr. de abſtinent. l. 2. c. 56.*

92. *Virgil. Eclog. 8.*

vim uterentur, quæ aliis quoque inſtillabant ad armorum hominumque inſidias devitandas ac compeſcendas, lapillis ac ſignaculis adhibitis tamquam teſſera ejuſdem militiæ. Solis 93. quoque motus ac virtutes callebant, ac incantationibus herbis & lapidibus virtutem inferre divinam ſimulabant, quo homines religionis illius ſolis ſacerdotibus notæ prorſus ignaros tuto deciperent, maximumque inde quæſtum facerent. Hic vero per tam nefanda ſacra divinandi mos initium ac incrementum ab Imperatorum libidine plurimum duxit, qui futura ſibique eventura cognoſcendi inſana cupiditate inflammati, cum ſibi nuſquam tuta fides eſſet, & undique ab ipſis quoque amiciſſimis timerent, omnem lapidem movebant, ut futura providendo vitarent; quod perditorum eſt hominum, quibus ſudant ſemper præcordia culpa, & inteſtinæ furiæ, conſcientia nempe ſuorum ſcelerum, mentem non fabuloſo flagello diverberant: quod etiam Saulem illum feciſſe divinam illam mulierem conſulendo difficillimis arctiſſimiſque in rebus, teſtantur ſacræ 94. literæ. Atque utinam nunc quoque poſt ejurata ſimulacra omnique profana ſuperſtitione ceteroquin deleta, poſtquam veræ Religionis ſacra homines Deo ipſo magiſtro hominemque induto edocti ſunt, nefaria tamen Mithræ ſacra ac divinationes incantationeſque non perdurarent! quis enim ignoret, etiam per hæc tempora ſceleſtiſſimos vivere viros ac feminas, qui nefandis excantationibus & medicamentis de futuris exquirunt, ac conſulunt humani generis hoſtes malos Genios, ac inſidias vitare, vel mira facere anulis verbiſque conceptis ac lapillis ceteriſque quiſquiliis ab iiſdem acceptis confidunt; quod &, Deo Optimo Maximo altiſſima ob conſilia permittente, ſæpius uſuvenit. in quam ta-

93. Ligor. v. Antro. Reineſius claſſ. 1. inſcript. 48. pag. 95. Plutarch. in Paul. Æmil. - Lutat. Placid. in l. 1. Thebaid. v. 106. & ad l. 6. v. 687. Propert. l. 1. Eleg. 1. Dempſter. ad Roſin. lib. 2. c. 8. de Sole & Luna.

94. Lib. 1. Regum.

tamen humani generis peſtem fæcemque hominum debuit non una parari ſimia nec ſerpens unus nec culeus 95. unus, utpote in peſſimos ſæpenumero ſuorum parricidas. Verum hæc viderint, ac curaverint, quibus incumbit. nunc ad hiſtoriam redeamus. 95. *Juven. Satyr.* 8.

Ceterum Reineſius exiſtimat, lapides, quos ſummatim refert, eſſe mendoſos, & non *Hieroceryx*, verum *Hierocorax* in illis legendum eſſe; in qua ſententia Sancto 96. Hieronymo videtur adhærere, qui in epiſtola ad Lætam ſacerdotes Mithræ deſignans ait: *Sacra, quibus Corax Gryphus Miles Leo Perſes Helios Bromius Pater initiantur*. quod & 97. Gutherius animadvertit. unde colligit in allatos lapides mendum dubio procul irrepſiſſe. ſicut enim Corax erat unus ex ſacerdotibus Mithræ, qui in ſacrificiis corvos offerebat, ita Hierocorax juxta hanc ſententiam fuit ſacerdos Mithræ deſcriptus in lapidibus: *præſertim*, ait, *quod ex lapide Romano conſtet, ſacra Hierocoracica appellata eſſe illa quæ Hierocorax oſtenderat*. Huic etiam ſententiæ calculum addit 98. Turrianus. Verum utcumque legere malis in lapidibus, vel *Hieroceryx* ſcilicet, vel *Hierocorax*, illud quod de corvis Reineſius ſubdit, minime verum judico, ſacerdotem ſcilicet, de quo nunc ambigimus quonam vocabulo fuerit appellatus, corvos in ſacrificiis Mithræ ſubminiſtraſſe. quippe lapis Sextilii jam adductus ſacerdotem hunc vocat etiam patrem patrum Dei Solis, ideſt principem & caput ſacerdotum; alter Egnatii eumdem appellat patrem & Hieroceryca Mithræ; qui tituli ab Reineſii interpretatione maxime diſſonant. Si enim Sancti Hieronymi deſcriptio Patrem & Coraca diſtinctos nominat, cur abſque alio fundamento, cui innitar, in lapidibus hæc duo nomina miſceri ac confundi aſſeram, eumdemque hominem duplici eoque diver-

96. *Ep.* 7. *ad Lætam*.

96. *Lib.* 1. *de veteri jur. Pontif. urb. Romæ. c.* 25.

98. *De Turr. de Mithra c.* 4. *p.* 190.

diverso admodum functum sacerdotio fuisse, patris nempe sive capitis, & quod multo inferius est, Coracis sive sacrificuli ac ministri corvos subministrantis? Ligorii itaque sententia lapidibus magis congruit. ait siquidem, sacerdotem hunc fuisse interpretem sacrorum, & divinationum, ac sacerdotum principem. Si autem originem Græcæ vocis, quam supra sum interpretatus, consideres, sacerdotem custodem cornu Mithræ fuisse dices. κέρας namque *cornu* significat, & ἱερεὺς *sacerdotem* vertimus; quare levi unius literæ mutatione, Hieroceryx sacerdos cornu, sive a cornibus recte dicetur. Quod si Mithræ figuram recordaberis, hominis nempe monstrosi, leonis vultu cum tiara, utraque manu bovis cornua comprimentis, & Statii allatum carmen revolves:

Indignata sequi torquentem cornua Mithram,

hisque addes vocabulum *Archibucolus* sæpius in inscriptionibus repetitum, quod est Princeps bubulcorum sive taurorum custodium; si hæc, inquam, omnia perpendes, hanc meam novissimam interpretationem veluti a vero non longe aberrantem minime aspernaberis. Hoc certe compertum habemus: haud in omnibus Mithræ antris ejus sacerdotes iisdem nominibus appellatos, quibus Sanctus Hieronymus eos appellat. In quibusdam enim lapidibus Mithræ quindecim viros attributos legas sacris faciundis, cum Pontifice ac magistro totius ordinis sacerdotum; in aliis autem sacerdotum Mithræ principem, vel Antistitem aut Pontificem tantum descriptum invenies. Ecce tibi hunc ex Rosino: *99*.

99. *Dempster. ad Rosin. l. 2. c. 8. pag. 166.*

PERSIDICIQVE MITHRAE
ANTISTES BABILONIAE - - TEMPLI

Al-

Alter quoque apud Aldum ſic habet: 100. 100. De Ortograph. ration. p. 662.

IVN POSTHVMIANO CLAR: VIRO
DEI SOLIS INVICTI MITHRAE
XV̄ VIRO SACRIS FACIVNDIS
PONTIFICI DEI SOLIS
ORDO SACERDOTVM MAGISTRO SVO
CVRANTE ET DEDICANTE
FLAVIO HERCVLEO VIRO RELIGIOSISSIMO.

Quare juxta morem cujuſque templi aut ſpeluncæ Principem ſacerdotum appellatum conſtat nunc Patrem, ut memorat Sanctus Hieronymus, deſcriptique lapides confirmant, nunc Antiſtitem vel Pontificem aut Hierocerycam, ſeu Hierocoraca, cujus tamen munus corvos ſubminiſtrandi minime fuiſſe dicendum, ſi diſtincta miniſteria, quod veriſimilius eſt, in ſacerdotibus Mithræ fuerunt. Antii itaque fuiſſe Mithræ antrum, confirmat lapis in quo T. Flavius Oncheſtus inſcribitur Hieroceryx Dei Solis Paciferi Antiatum. Tabula vero ſignata, quam Turrianus 101. interpretatur, Antii reperta, illa erat in qua Mithræ occulta ſacra repræſentabant ſacerdotes Antiates, ut patet ex ipſius tabulæ imagine, quam hic exhibeo. 101. De Turr. & Dempſter. loc. all.

Quid autem tabula ſignificaret, conſtat ex Lutatio Placidio, cujus verba affert Turrianus, & ex Dempſtero ad Roſinum: *In ſpelæis*, inquit, *Perſæ Solem colunt, & hic Sol proprio nomine vocatur Mithra. Eſt autem ipſe Sol leonis vultu cum tiara Perſico habitu, & utriſque manibus bovis cornua comprimens; quæ interpretatio ad Lunam dicitur, quæ indignata ſequi fratrem occurrit illi, & lucem ei obſcurat; Sol ergo, quaſi Lunam minorem ducens, ideo taurum torquet. mire autem cornua poſuit, ut Lunam poſſet manife-*

ſtius

ſtius exprimere , non animal quo illa vehi figuratur . Sed quia locus non eſt Deorum iſtorum ſecreta juxta tenorem internæ philoſophiæ differere , de figuris tamen , quibus creditur, pauca dicamus. Sol eſt ineffabilis; quia principale ſignum inculcat, & frænat, Leonem ſcilicet, iccirco & ipſe hoc vultu fingitur; vel quod is Deus ceteros ſui numinis & potentiæ impetu excellat, ut inter reliquas feras Leo; vel quia ſit rapidum animal. Luna vero, quia propius Tauro adhæret adducitque, ideo vacua figurata eſt. Ceterum divini & regii iſti Dii ut comparentur in orbe, ſic ſunt expertes mortalis figuræ tam hominis quam belluæ, non habentes initium.

Et paulo infra: *Simulacrum ejus fingitur reluctantis tauri cornua retentare; quo ſignificatur, Lunam ab eo lumen accipere cum cœperit ab ejus radiis ſegregari.*

102. Porphyr. de Antr. Nymph. Nonn. & alii ap. de Turr. de Mithra c. 5. p. 2. 11. 12. & 13. Reineſ. claſſ. 1. inſcript. 49. p. 96. Ligor. v. Mithra.

Sacerdotes autem 102. qui nefariis his ſacris initiabantur, quibuſdam veluti tolerantiæ gradibus probari conſueverant, adhibitis tormentis quibuſdam ac pœnis. Affligebant ſiquidem illos diebus multis hauriendæ aquæ miniſterio, exinde fame vexabant diebus quinquaginta; quæ ſi fortiter toleraſſent, biduo eos ſepties vel novies cædi jubebant. aliis inſuper viginti & octo diebus pluribus ſuppliciorum generibus eos exercebant. tentabant enim eorumdem patientiam frigore, igne, & fumo; quandoque etiam membris ſtigmata inurebant, quæ ſacra appellabant. fuiſſe etiam quoſdam legimus qui octoginta fere tormentorum generibus tentarentur antequam profanis his ſacris initiarentur. Dum vero initiabantur, antequam lavarentur, ac melle linguam linirent, 103. (quod expiare anteacta ſcelera omnia exiſtimabant) in antro ipſo Mithræ fere in tenebris Pater ſive Princeps ſacerdotum coronam illis offerens ſe illos gladio tranſverberare ſimulabat; coronaque & ſacris digni habebantur,

103. Tertullian. lib. de Baptiſm. Porphyr. loc. all.

qui

qui intentata ſibi nece tali pacto minime expalluiſſent, ſed conſtanti animo ac vultu ictum ſuſtinuiſſent. hi enim demum corona donabantur; 104. quam ſacerdotis illius monitu manu repellebant, illamque Mithræ eſſe, ac Mithram decere exclamantes in humerum rejiciebant. quibus in ſacris homicidium Commodus patraſſe dicitur 105. vereque initiandum gladio tranſverberaſſe, ſicque ſacra illa pollutiſſima ceteroquin novo ſcelere polluiſſe. Poſt hæc initiatum lavabant, manuſque atque os illius melle liniebant, & demum juxta Ligorium lineis albis induebant prætexta purpurea ſuperinducta. cujus tamen veſtitus fides eſt penes ſolum Ligorium, 106. cum ipſe unde hunc morem fuiſſe hauſerit, minime aperiat. Refert 107. Apulejus, Mithræ ſacerdotem habitum ſumere ſolitum illius feræ cujus ſibi nomen aſſumpſerat; quod & Porphyrius confirmat. In ſingulos namque initiatos animalium nomina dividebant, quæ memorat Sanctus Hieronymus, appellantes alium quidem Gryphum, alium vero Leonem, Bromium alterum, alterum Corvum, Militem demum, Helion, ac Perſidem alios. Qui itaque Leonis nomen 108. ſortitus eſſet, veſte Leonis figuram referente induebatur; qui vero Gryphi, ſimiliter; eoque habitu Mithræ ſacra ſemper curabant. unde 109. Tertullianus apto vocabulo ſacerdotes iſtos Leones, Corvos, ac Gryphos nominat. Jam vero feſta die Mithræ aliiſque ſtatis diebus, quibus Lunæ vel Solis motus indicabantur, mos erat populo oſtendere Leontica, Coracica, ſeu Gryphia, Perſica, aut Patrica, ut docet Gruteri lapis per hæc verba: 110.

104. *Tertull. de Coron. milit. in fine.*

105. *Lamprid. in Commodo.*

106. v. Mithra.

107. *Lib. 11. Metam.*

108. *Porphyr. loc. all.*

109. *S. Hieron. ep. 7. ad Lætam. Tertull. de Coron. milit.*

110. *Ap. de Turr. cap. 5. de Mithr. p. 203.*

DATIANO ET CEREALI COSS:
NONIVS VICTOR OLYMPIVS V. C.
M P.P.

P. P. AVR: VICTOR AVGENTIVS V. C. P.
CONS. S. S. TRADIDERVNT ELIACA
XVI KAL: MAII FELICITER
OSTENDERVNT GRYPHIOS VIII
KAL: MAI FELICTER.

Idem etiam confirmant alii lapides apud eumdem Gruterum, in quibus mentio fit de Leonticis, Persicis, Coracicis, & Patricis. Ceterum quando hæc exhiberentur, prodibant omnes ea veste induti eoque habitu, quo ille de cujus nomine ludi sive sacra ista appellabantur: quo die scilicet Gryphia ederentur, Gryphi omnes habitu, similiterque de reliquis. Qui vero Persidis, Helii, aut Bromii nomine dicebantur, ii Persarum, Solis, ac Bacchi figuram induebantur; unde optime Patres ac Doctores nostri hujusmodi sacerdotes Mimos ac Ludiones sæpius appellant. Erant siquidem ludi quidam sacri, quos Mithræ sacerdotes edebant in honorem numinis Hecates, Lunæ scilicet, quibus ludis dabantur etiam Circenses. Et quoniam mos erat in ludis pompam deferre, in qua ministri ducentes thensas & alia sacra vehicula, quibus vehebantur Deorum simulacra, ante illa incedebant veste habituque ferarum induti; iccirco memorati lapides, iis diebus ostensa Gryphia, Leontica, & Coracica produnt. Pretium operæ autem se facere existimabant sacrificuli illi si horribili ac insueto illo habitu incedentes novum vulgo horrorem suique metum incuterent, quo illis Mithræ cultus sacerdotumque ejus opinio altius mentibus insiderent. Quam sacerdotum Mithræ
111. Lib. 10. p. 672. astutiam Pausanias 111. in Phocicis animadvertens, *Apud Magnetas*, inquit, *Lethæi fluminis accolas, erat vicus, cui nomen Hyle. In eo specus Apollini sacer ea magni-*

tudi-

tudine quæ ſane nullam afferat admirationem. Intra ſpecum vero ſignum Apollinis valde priſcum. Ex eo corporibus mirificum ad omne opus robur afflari autumant; quo fit, ut ſacri Apollini homines deſiliant illæſi de ſummis rupibus præruptiſque ſaxis, iidemque præcelſas arbores radicitus evulſas haud magno negotio portantes per anguſtiſſimos tramites, & anfractus iter faciant. Et hæc quidem hactenus.

Ceterum Antii Neptuni templum fuit percelebre, ex quo oppidum nunc Neptunium appellationem duxiſſe, eruditi prudenter exiſtimant. Fuit autem hoc templum non longe a Cenonis oppidulo, quod Antiatibus navale & forum rerum venalium fuiſſe, memoravi ſæpius ex Dionyſio. Erat autem Neptuni templum in hoc navali ſitum inſtar navalis Corinthii, ubi in altera quidem parte erat templum Æſculapii & Iſidis, in altera vero Neptuni ædes, ut memoriæ prodidit Pauſanias 112. in Corinthiacis. Antii certe fuiſſe Neptuni templum, luculenter confirmant lapides duo. Affertur alter a Fabretto 113. abſque loci in quo effoſſus ſit, commemoratione; quod addidit Ligorius afferens, illum in Antii ruinis fuiſſe defoſſum. is autem lapis ſic habet:

112. *ſeu lib. 2.*

113. *Inſcript. c. 5. fol. mihi 405.*

NEPTVNO REDVCI
SACRVM
Q. MANILIVS Q. F. PAL:
VI VIR AVGVSTALIS ET FLAM: TITIAL:
VOTVM SOLVIT LIBENS MERITO.

Alterum pariter Antii defoſſum affert idem Ligorius ſic: 114.

114. *Lib. de famil. Rom. pag. 35.*

ACCIAE MANILIAE C. F.
VIXIT ANNIS XLII.
L. ACCIVS L. F. OVFENT: VARVS
NEPTVNI IIII SACERDOS
D. D.

115. v. Anthea, Anthia, Antio, & Antiati.

His addit Ligorius, 115. Neptunum Numen tutelare Antiatum fuisse, adeoque ab illis peculiari religione cultum. Illum Saturni & Rheæ filium in fabulis commenti sunt antiqui, dumque inter Jovem, Plutonem, ipsumque Neptunum fratres de imperio lis coorta esset, sorte obtigisse Neptuno quidem maria, cælum Jovi, subterranea loca Plutoni; quam divisionem sic ex Euhemesso antiquissimo historico interpretatur Lactantius, 116. ut Jovi quidem Olympus mons maximæ altitudinis nubibusque ipsis cacumen inserens, cælum iccirco, obtigerit una cum tota Orientali plaga; Plutoni inferna, nempe Occidentis regiones; maria Neptuno, maritimæ nempe oræ cum insulis: atque iccirco maris Deum Neptunum antiqui appellaverunt. quæ plurimorum scriptorum calculo confirmantur. Quamquam alii scripserint, 117. Neptunum Nauticæ inventorem fuisse, classemque primum instruxisse, cujus a patre Præfectus constitutus maris sibi dominium comparaverit, a Nautis exinde loco Numinis observatus. Ejus cultum Latini ab Evandro Arcade acceperunt; qui statim ac Latii oris appulit, Neptuno, quem Consum, hoc est, terræ quassatorem, Latini Prisci appellabant, templum dicavit, coluitque subterranea ara, eique diem festum statuit, quem Consualia 118. dixerunt, instituitque ut equi ac muli eo die cessarent, sertisque caput coronarentur. Evandro pariter institutos referunt lucos Neptuno sacros. quamquam

116. Lib. 1. de fals. relig. Cic. de Nat. Deor. Arnob. Plutarch. Serv. Tibul. Ovid. &c.

117. Diod. l. 6. c. 15.

118. Dionys. l. 1. Fest. l. 3. 8. & 11. Gyrald. Hist. Deor. Syntagm. 5.

quam enim putent aliqui, lucorum ſacrandorum Numinibus inventorem fuiſſe Faunum Latinorum Regem, a quo fana templa dicta ſunt, ut auctor eſt Cato, 119. aliique auctores, tamen Neptuno dicandi lucos morem Evandrum Latinis tradidiſſe auctores ſunt Dionyſius 120. ac Feſtus, quorum ſententiæ recentiores nonnulli ſubſcripſere. Arcades namque & Græci, quorum præcipuum & antiquiſſimum Numen erat Neptunus, luco ædes Neptuni cingebant: legiturque apud Pauſaniam 121. in Arcadicis, apud Tricolonos in Arcadia fuiſſe Neptuni fanum, cum quadrato ſigno, & luco multum arboribus opaco, qui templum ambibat; atque hujus templi ac luci antiquitatem hic auctor ſummopere commendat. Apud Tenios quoque extra urbem in medio luco fuit ædes Neptuni, ubi Neptunalia habebant Tenii, quos coluiſſe Neptunum Medicum, cujus tridenti advolvebatur ſerpens vim medicam innuendo, memoriæ 122. proditum eſt. Templo itaque Neptuni Antiatis lucum adhæſiſſe crediderim ex crebris oleaſtris conſitum, cujus arboris Neptuno ſacræ paſſim nunc quoque in loco ubi templum fuiſſe conjicimus, ſolent quamplurima germina pullulare. In hujus autem templi impluvio, quod porticus ambitu complectebatur, oleaſtrum ingentem ſatum fuiſſe de more crediderim, cujus ramis veſtes ac tabellas votivas ii qui naufragio ſe Neptuni ope ereptos exiſtimabant, 123. appenderent; quod vetus Horatii interpres notavit ad illos verſus: 124.

Votiva pateat veluti deſcripta tabella
Vita ſenis.

Et teſtatur Virgilius de Priſcis Latinis ac Laurentino templo dicens: 125.

Forte ſacer Fauno foliis oleaſter amaris

119. *De Re Ruſt. c.* 139. *Juven. Sat.* 1. *Curt. Symphor. lib.* 4. *hortor. c.* 1. *& ſeqq.*

120. *Loc. all. Stuck. de ſacrific. gent. p.* 104. *& Symphor. loc. all.*

121. *Lib.* 8.

122. *Strab. l.* 10. *p.* 487. *& Clem. Alexandr. in Protreptico. p.* 18. *Harduin. de numm. populor. & urb. pag.* 494.

123. *Tomaſin. de Donar. c.* 7.

124. *Lib.* 2. *Serm. ſat.* 1.

125. *Lib.* 12. *Æneid.*

Hic

Hic ſteterat, nautis olim venerabile lignum;
Servati ex undis ubi figere dona ſolebant
Laurenti Divo & votas ſuſpendere veſtes.

Quamquam aliquando e parietibus templi has tabellas ſuſpendebant, quod innuit Horatius: 126.

Me tabula ſacer
Votiva paries indicat uvida
Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris Deo.

126. Lib. 1. Carmin. Od. 5.

Ceterum naufragi has tabellas e faſcia ſuſpenſas colloque alligatas circumferre ſolebant miſericordiam ac ſtipem captandi gratia. Juvenalis inter ceteros luculentus eſt teſtis:

127. - - *merſa rate naufragus aſſem*
Dum rogat & picta ſe tempeſtate tuetur.

127. Sat. 15.

Quod ſi priſcorum morem in Neptuni templis attendas, dices, in Neptuni Antiatis templo aras Cereris, Proſerpinæ, & Minervæ minime defuiſſe, 128. communes ſiquidem his Numinibus cum Neptuno ab antiquis honores habebantur; ſacella quoque Salaciæ ac Veniliæ, quarum primam Neptuni uxorem dicebant, ita dictam a ſalo, quod ſalum, ideſt mare, moveret; alteram ita appellatam ex unda quæ ad littus venit. Venilia itaque maris ad littus acceſſus ſeu æſtus maris erat, Salacia vero receſſus, ſive defectus; unde in Neptuni templis utrique aras poſitas, & ædificata ſacella, teſtantur Feſtus, 129. Divus Auguſtinus, Varro, & alii. Neptuni ſacra a pluribus ſacerdotibus Antii curata fuiſſe, conſtat ex relato lapide, in quo L. Accius Ouſentinæ tribus & Antiatis gentis ſe appellat IIII ſacerdotem Neptuni; niſi ſacerdotium annuum fuiſſe dixeris, juxta 130. Priſcorum Latinorum ipſorumque Romanorum morem, atque Accium quarta vice ſacer-

128. Pauſan. in Attic. p. 69.

129. Feſt. de verb. ſignif. S. Auguſt. de Civ. Dei l. 7. c. 22. Joſeph. Scalig. append. in Varr. de Ling. Lat.

130. Plin. l. 18. Sueton. in Aug. c. 31. Senec. l. 1. de Clement. c. 10. Harduin. de num. popul. & urb. p. 401.

cerdotio functum fuisse. Hinc quoque notabis apud Latinos, sacerdotes Neptuni viros fuisse, non feminas, ut apud Græcos, apud quos virginem usque ad tempus nuptiarum Neptuni sacra curasse, refert Pausanias 131. in Corinthiacis. Hi autem sacrificuli in ipsis sacrificiis ac cantilenis Neptunum Patrem invocabant, quem etiam Pelagæum, Asphaliæum 132. & Hippium appellabant, ab pelago scilicet, & portubus, ac equitatione, quorum curam gerere dicebatur. Ait siquidem Pausanias 133. in Achaicis, Neptunum equitationis inventorem habitum, & vetus fabula illum tridenti terra percussa equum eduxisse commenta est, ut Athenis nomen suum imponeret, cum illum inter & Palladem orta de hoc esset contentio; quamquam Palladi causa illa fuerit adjudicata, quod oleam arborem cum primis utilem in eo certamine e terra eduxisset: quod innuit Virgilius his versibus:

131. pag. 148.

132. Gell. Noct. Attic. l. 5. c. 12.

133. pag. 439.

134. *tuque o, cui prima frementem*
Fudit equum magno tellus percussa tridenti,
Neptune.

134. Georgic. 1.

Propterea Equestris ordo in Coloniis illi sacrificabat statis diebus, quod putaret illum ordinis sui conservatorem esse, ut docet lapis Ostiensis: 135.

135. Ap. Fabrett. Inscript. c. 10. p. 680.

NEPTVNO CONSERVATORI
EQVESTRIS ORDINIS
L. COILIVS L. F. PALATINA PRISCVS
II VIR CAPITALIS OSTIENSIS CVRAVIT.

In sacrificiis vero solebant taurum mactare, cujus exta non in aram focumve, ut moris erat in aliorum Deorum sacrificiis, sed in mare projiciebant. Virgilius: 136.

136. l. 6. Æneid.

extaque salsos
Porriciam in fluctus.

Inde

Inde tauro vinum ac oleum ſuperinſundebant. aromata quoque herbaſque odoriferas addebant. quæ omnia expreſſit Virgilius, cujus carmina ſatis ſit innuiſſe. Navigaturi autem non ſolvebant ante Neptunum exoratum, quod, illi ſimul atque Apollini mactato tauro, Hyemi nigra, Zephyris 137. alba pecude mactatis, fiebat. Neptuno pariter ceteriſque marinis Diis temones conſecrabant, votaque facta inſcribebant velis, totamque navim tæda lucida ovo ac ſulphure luſtratam 138. atque linitam, dum ſolemnes conciperent preces, eidem dicabant; ac tum demum læti ſecurique ſeſe pelago committere tuto poſſe credebant decepti illi ac miſeri nautæ, cum tamen illorum unicuique aptari merito poſſet illud Juvenalis triſte vaticinium: 139.

infelix hac forſitan ipſa
Nocte cadet, fractis trabibus, fluctuque premetur
Obrutus, & zonam læva morſuque tenebit.

Neptuni feſtum celebrabant X. Kalendas Sextiles, quo ludi habebantur, feriæque 140. indicebantur Neptunalia dictæ. in his & Circenſes datos, & navales pugnas Antii commiſſas dicam ubi de ludis.

Hercules quoque templum habuit Antii. teſtimonio eſt marmor antiquum ibi erutum:

SANCTISSIMO HERCVLI
PACIFICO INVICTO
SACRVM
P. IVNIVS P. F. CERINVS
PRAEF. EQ. SING.
V. S. L. M.

Quod templum athletarum ac gladiatorum gymnaſio

137. *Virg. l.* 5. *Æneid. & Donat. & Serv. ibi.*

138. *Tomaſin. de donar. c.* 25. *ex Apulejo l.* 11.

139. *Juven. Sat.* 14.

140. *Varr. l.* 5. *de Ling. Lat. Tertull. l. de ſpectaculis c.* 6.




Figura antiqui templi AEsculapij Antiatis è uetustissimis ruderibus, quæ adhuc supersunt nuperrime delineata


Tab. VIII.




AEsculapij Signum e ruderibus uetusti eiusdem Templi Antij effossum

Ex Musaeo Alexand. Card. Albani












I. II. Signacula plumbea duo, antiquitus inserta marmori, nuper effosso ex ruderibus naualis Antiatum.	*IV. Signum Apollinis, Antii repertum quod modò uisitur ad Hortos Vaticanos.*
III. Nummus argenteus gentis Rustiae exhibens simulacrum geminum Fortunae Antiatis.	*V. Statua Gladiatoris ex Antii ruinis effossa, et ad Villam Burghesiam translata.*



Vetusti templi quod dirutum etiam nunc Antij visitur figuræ pars prope Antium Promontorium sita uulgo Caput Antij dictum.

Tab. x.








Tab. XI.

Templi eiusdem uestigia et Prospectus ad mare prope Antium Promontorium.





Signum Iouis e ruinis Antiatum eductum

Ex Musaeo Alexand. Card. Albani



Signum Palladis e ruinis Antiatum

Ex Musaeo Alexand. Card. Albani

ſio proximum extitiſſe veriſimile eſt. Erat enim Antii Circus, & prope Circum athletarum ac gladiatorum gymnaſium, ut fuſius dicam, ubi de ludis. templum autem Herculis huic adhæſiſſe ſi dicam, morem antiquorum a Vitruvio 141. relatum ſequar. Juſtus Lipſius 142. pariter eruditiſſimus ille vir tradit, Circum aut gladiatorum publicas ædes numquam ſine Herculis templo profanos ædificaſſe, quod & Pauſanias 143. confirmat Eleorum exemplo, apud quos athletarum gymnaſium fuit, in quo ædes Herculis Idæi viſebatur cognomento Auxiliaris.

141. *De Architect. l.* 1.
142. *Lipſ. l.* 2. *Saturn. c.* 23. *in fine.*
143. *L.* 6. *pag.* 389.

Ceterum Antii Caſtoris ac Pollucis delubrum fuiſſe, male 144. quidam ex Strabone collegerunt. non enim Antii, ſed Romæ hujuſmodi templum fuiſſe, verba Strabonis enuntiant. En illa: *Olim naves poſſederunt* (Antiates) *&* *ſocios ſe prædonibus Tyrrhenis præbuerunt, quamquam jam Romanis ſubeſſent. Itaque & Alexander miſit, qui de ea re quererentur, & poſt eum Demetrius reliquos prædones Romanis mittens, corpora eorum ſe ipſis largiri oſtendit ob cognationem cum Græcis; indignum tamen ſibi videri, eoſdem & Italiæ præeſſe, & latrocinia emittere, ac Caſtores quidem dedicato iis in foro templo venerari, qui ab omnibus ſervatorum loco habeantur; in Græciam autem mittere, qui iſtorum patriam populentur. Sane Romani eos ab iſto prædandi ſtudio deduxerunt.* Hæc verba Romanos appellant; illi enim Italiæ præerant, non Antiates, iidemque dedicato templo in foro Caſtores venerabantur, quod occaſione victoriæ de Latinis relatæ, Latino bello, cum Octavio Mamilio Tuſculano commiſſa pugna dedicaverant; perſuaſum ſiquidem Romanis erat, eo bello Caſtores urbem ſervaſſe, victoriæque nuntium ſub ſpecie juvenum in foro prope ædem Veſtæ miraculo attuliſſe; quibus gratiæ referendæ cauſa templum

144. *De Turr. monum. Ant. c.* 1. *in fine. Blond. Ital. illuſtr. de reg. maritim. & Campan. Strabo l.* 5.

145. Liv. l. 2. Dionys. l. 6. ibidem consecrarunt, ut fuse 145. Livius & Dionysius commemorant. Antiatum porro templorum vix ullæ hac ætate ruinæ supersunt. Loca tamen ea omnia dum diligentissime investigarem, antiqui templi Æsculapii figuram ex nuper detectis ruderibus collegi, atque hic exprimendam curavi. Alterius etiam quod adhuc visitur templi figuram inde desumpsi, quam una cum ejusdem semiruta facie hic appono. Incertum tamen quibus Diis id sacrum fuerit, cum muta omnia illa rudera ne vel una quidem syllaba, quid cuive sacrum fuerit ædificium, innuant. templum tamen fuisse ut crederem, orbicularis, sive ut melius dicam, semicirculi figura, quæ templorum apud veteres ferme communis erat, effecit.

CAPUT V.

De templo Fortunæ Antiatum.



FORTUNAE templum, idque maxime celebre, Antii fuisse, plurium scriptorum testimonio satis constat. Horatius in primis illius meminit notissimo carmine: 1.

1. Lib. 1. Od. 35.

O Diva, gratum quæ regis Antium.

Et Martialis inter recensendum loca suburbana quæ
2. Lib. 5. Epig. 1. in deliciis erant Domitiano: 2.

Seu tua fatidicæ discunt responsa sorores,
Plana suburbani qua cubat unda freti.

Quibus versibus poetam designare Sortes Antiates sive Antium celebre propter templum Fortunæ, convenit inter omnes interpretes. Idem quoque testantur
3. Sueton. in Caligul. c. 57. Tacit. l. 3. Suetonius 3. & Tacitus. Verum ut de templo nullus addubitat, ita dubitant multi, utrum Fortuna apud

Antia-

Antiates ſub una imagine an ſub duplici coleretur. Carmen Horatii unam innuit; Martialis vero duplicem deſignat. duplicem quoque Fortunæ Antiatis imaginem exhibent nummi duo, alter Q. Ruſtii 4. cuſus ſub Auguſto cum inſcriptione: *Fortunæ Antiat.* in quo duæ imagines ſunt exculptæ: alter C. Antii cum titulo: *Dei Penates*; quo titulo exhiberi Fortunas Antiates confirmabo, cum de Gente Antia ſermo erit. His accedit vetus inſcriptio, quæ duas pariter videtur commemorare. ea ſic habet: 5.

4. *Ap.Turr. Monument. Vet. Ant. c. 1. a pag. 1.*

5. *Gruter. pag. 72.*

FORTVNIS ANTIATIBVS
M. ANTONIVS RVFVS AXIVS
DAMASCO
SENATVS DECRETO DICAVIT.

Suetonius demum in 6. Caligula Sortium Antiatum meminit. Ex quibus confici prudenter videtur, Antii Fortunam ſub duplici imagine cultam fuiſſe. Ceterum Horatii locus minime huic ſententiæ opponitur. quamquam enim duo fuerint ſimulacra, (quod vero propius accedit) unum tamen Numen repræſentabant, quod & in nummo Q. Ruſtii exprimitur, cum ſub duplici imagine legatur uni tantum Numini dedicatio, ita nempe:

6. *Cap. 57.*

Fortunæ Antiatum Dedicatio.

Simulacrum autem duplex iccirco profani illi colebant, quod ejuſdem Numinis diverſas admodum dotes & diverſa munia eſſe crederent, ut notavit 7. Lactantius. Macrobio 8. itaque libenter aſſentior, qui duo ſimulacra Fortunarum in templo Antiati extitiſſe refert.

7. *Lactant. l. 3. de falſa ſap.*

8. *Macrob. Saturn. l. 1 c. 23.*

Illud etiam quærendum; quid hæ geminæ Fortu-

9. de Famil. Rom. p. 442. næ Antiates repræſentarent. Fulvius quidem 9. Urſinus in Ruſtia, nummum cuſum in gratiam Auguſti a Q. Ruſtio Triumviro cudendæ monetæ a nobis allatum proferens, putavit in eo nummo ſimulacrum Fortunæ Reducis aliudque Fortunæ Antiatis exhiberi. quod 10. In num. ſelect. p. 54. n. 1. Oiſellio 10. minime arriſit; exiſtimavit enim ipſe, ibi juxta inſcriptionem utriuſque Fortunæ Antiatis ſimulacra exhiberi.

Alii itaque eas imagines, alteram quidem Fortunam Felicem, alteram vero Fortunam Fortem repræſentaſſe 11. v. Phagone. ſcripſerunt; in quibus eſt Ligorius 11. duas referens inſcriptiones Antii effoſſas, quarum alteram recenſet 12. Inſcript. c. 9. p. 632. etiam Fabrettus; eſtque hujuſmodi: 12.

MINISIA
FORTVNAE FELICI
SACRVM
C. MINISIVS C. F. PRIMITIVOS
EX VOTO S. L. M.

Altera ſic legitur:

FORTI FORTVNAE
SACRVM
VERCINIA L. LIBERTA
LAEDA PRO SALVTE
M. VERCINI MARCI LIBERTI
PHAGONI
MEDICI ANTIATVM VI VIR: AVGVSTAL:
SVA PECVNIA DEDICAVIT.

Nec deſunt qui exiſtiment, ſimulacra illa expreſſiſſe duas Nemeſes ſive Furias ultrices, Nemeſin ſcilicet bonorum remuneratricem, ac malorum vindicem, &

Adra-

Adrasteam, videlicet inevitabilem ultionis divinæ necessitatem; quæ sententia fuit Philippi Bonarotæ 13. de antiquis monumentis optime meriti.

13. *Ad numism. XI. Macrin. Imp. pag. 223.*

Mihi tamen altius hæc investiganda, duarumque imaginum origo repetenda est. Antiatum itaque Fortunarum, altera Virilis, Muliebris altera fuit; sive Equestris & Fortis eadem ac Virilis una, & Muliebris altera fuit; nisi vehementer fallor. Inde autem potissimum argumentum duxerim, quod nata Poppea Neronis filia Antii, Senatus Romanus Neroni gratificaturus decrevit Fortunarum effigies aureas in solio 14. Capitolini Jovis collocari, quod exoptatum vehementer ab ipso Nerone fuerat, ut Fortunas Antiates extolleret, crederentque omnes, ope Fortunarum filiam sibi natam, earumque in tutela ac fide eamdem vivere. Neque vero, ut aliqui perperam sane existimarunt, dici potest, auream effigiem Fortunæ tunc Senatusconsulto positam in solio Jovis, quod Fortuna Aurea in penetralibus Principum collocari consueverat. Si enim de hac Fortuna Tacitus mentionem fecisset, meminisset utique unius imaginis, vel saltem duarum ejusdem Fortunæ imaginum, non autem duorum simulacrorum Fortunarum distinctarum, quod ostendit, duas illas imagines non fuisse similes, nec repræsentasse unicam ejusdemve Fortunæ vim. Quicumque autem Fortunam Auream in cubiculis Principum poni consuevisse 15. commemorant, unius tantum Fortunæ Prosperæ Felicis meminerunt, in cujus fide Imperator ac familiares ejus omnes viverent. Constat igitur, duo illa simulacra aurea Fortunarum ab Senatu in Neronis gratiam in solio Capitolini Jovis collocata, ut Fortunarum Antiatum exemplum exhiberent; quod Antii nata esset Poppea Impe-

14. *Tacit. l. 15. Annal. & vet. interp. in hunc locum.*

15. *Sueton. in Galba. Capitol. in Antonino Pio, in Antonin. Philosopho, & in Severo.*

Imperatoris filia, beneficio, ut putabant, Fortunarum Antiatum, quibus propterea esset Romæ cultus augendus. Hinc etiam patet, hæc simulacra exhibere non potuisse Fortunam bonorum ac malorum eventuum causam. a pietate siquidem patris, & a Senatus Romani animo longe abhorrebat, pro filia Deam malorum effectricem ex voto invocare. Malorum quippe 16. inventrix & causa habebatur aversa Fortuna apud profanos, illamque mala omnia immittere, hominibus invidere, eos perditos velle ac affligere, iis insidiari, ac eorumdem genus omne radicitus extirpare conari, sibi persuadebant. Imperatores autem illam Fortunam 17. colebant, a qua liberos imperiumque ipsum ac prosperos successus privatarum publicarumque rerum sperabant; venerari ac colere privata quoque ac domestica superstitione solebant. quid enim alteram illam Fortunam, Numen, quemadmodum sibi ipsi fingebant, tam dirum tamque aversum colerent? Ne noceret; reponet aliquis. Credo utique, ab iis hoc aliquando factum; verum pro nata Neronis filia hoc Senatum fecisse, verisimile non puto. Alterum itaque horum simulacrorum Prosperam Felicem Fortunam muliebri habitu repræsentasse existimaverim, alterum vero Fortunam Equestrem seu Virilem; quod ex Tacito 18. confirmatur. narrat enim Tacitus, Equites Romanos pro valetudine Augustæ uxoris Tiberii vovisse Equestri Fortunæ donum, nullumque Romæ repertum fuisse hujus Divæ delubrum, quod tali cognomento appellaretur: iccirco Equites Romanos donum apud Antium statuisse, ubi ædes Equestris Fortunæ extructa erat. Quamvis autem hunc Taciti locum interpretes mendacii vel saltem erroris insimulent, quod falso asseveret, nullum

16. *Lactant. l. 3. de fals. sap.*

17. *Reines. inscript. 120. class. 1.*

18. *Tacit. l. 3. Annal. c. 71.*

lum templum Equeſtris Fortunæ tunc temporis Romæ fuiſſe, cum Julius Obſequens, Valerius Maximus, & P. Victor templi Fortunæ Equeſtris Romæ meminerint, & 19. Livius referat, multo ſuperiorem Tiberio Q. Fulvium Flaccum Prætorem in Hiſpania, eo die quo poſtremum cum Celtiberis pugnavit, Fortunæ Equeſtri templum voviſſe, Romæque conſtruxiſſe: quamvis, inquam, hæc omnia erroris arguant locum Taciti, & iccirco legendum non quidem: *Equeſtri Fortunæ*, ſed *Sequeſtri*, alii 20. cenſuerint, Tacitum tamen, quem puto minime erraſſe, lubens 21. amplector, ac de Equeſtri illum, non de Sequeſtri Fortuna verba feciſſe & autumo, & ajo. Primum enim, ut ingenue dicam, quæ eſt confidentia, Tacitum erroris inſimulare in re ceteroquin tam aperta, ac publica, perinde ac ſi ille, qui Romæ natus Romæ viveret ac hiſtoriam ſcriberet, Romana templa celebria ceteroquin ac publica ignoraret, nulloque nixus fundamento Antii templa recenſeret, ac proinde dupliciter erraverit, tum Divæ Fortunæ Equeſtris templum fuiſſe Tiberii ætate negando, tum illud Antii fuiſſe commemorando? Melius itaque Freinshemius 22. in hunc Taciti locum notat, nullum omnino veterum ſcriptorum reperiri qui Tiberii ætate templum Fortunæ Equeſtris Romæ extitiſſe confirmet. Ut igitur Livio pariter ac Tacito conveniat, veritaſque conſtet utriuſque, dicendum videtur, Quintum quidem Fulvium ex Livii teſtimonio templum illud fundaſſe, verum aut incendio, aut ruina aliqua idem poſtea periiſſe, adeo ut ſub Tiberio jam amplius non extaret; quod Tacitum ab errore eximit. potuitque poſt Tiberium vel antiquum dirutum ac collapſum rurſus excitari, vel recens conſtrui; quod utrumque pariter Tacito poterit conſentire.

19. *Liv. lib.* 3.

20. *Ap. Turrian. cap.* 1. *pag.* 16.

21. *Cum Lipſ. & aliis.*

22. *In allat. Tacit. loc.*

re. Rickius 23. quidem ſcripſit, hanc ruinam veteris Fortunæ Equeſtris templi, ſive incendium ſive infortunium aliud, quo periiſſet, a ſummo hiſtorico non diſſimulatum; aut non diſſimulandum cenſuit, ſi accidiſſet: verum quid ita? cum ejus ruinæ commemoratio nil ſuæ narrationi ponderis adderet? Cum Freinshemio itaque ſentio, eoque probabilius, quippe Flaccus ex templo Junonis Laciniæ tegulas marmoreas detraxerat, ut ædem Fortunæ Equeſtris, quam voverat bello Celtiberico, ornaret. At Brutiis tegulas repetentibus ac vindicantibus, Senatus ſacrilegio comperto eas reportari juſſit, & piacularia Junoni fieri decrevit, Flaccumque exilio mulctavit; qui mente captus diem exul obiit, ſacrilegiique, ut putabant, meritas pœnas luit: quod auctores non pauci 24. ſcriptum reliquerunt, addentes, ideo hoc templum Romanis inviſum fuiſſe. Veriſimile itaque eſt ab iiſdem ejus cultum curamque neglectam, atque iccirco caſu aliquo vel ipſa vetuſtate collapſum ad Tiberii tempora non perveniſſe.

E contrario pergratum Tiberio fuit, donum quod Equites Romani pro ſalute uxoris voviſſent, Antii ſtatui. ſiquidem eo ſæpe ſecedere ad delicias ſuas conſueverat, ibidem ædes ſibi ſumptuoſiſſimas extruxerat, & pluribus donariis Fortunarum 25. Antiatum templum ditaverat; quod & ſupra commemoravi. Immo cum nullus in dubium revocet, tunc Antii delubrum Fortunæ Equeſtris fuiſſe, & Tacitus teſtetur, in hac Colonia templum tali cognomento dicatum, non eſt cur amplius dubitari prudenter poſſit, alterum ſimulacrum Fortunarum Antii Equeſtri Fortunæ referendum eſſe.

Hanc Fortunam Antiates Virilem ſeu Fortem appella-

23. *In animadverſ. ad Tacit.*

24. *Liv. loc. all. Val. Maxim. l. 1. c. 2. & l. 2. c. 7. Lactant. l. 2. Div. Inſtit. Cic. 3. in Verrem. Front. Strategem. l. 4. c. 1.*

25. *Vet. Interpr. Horat.*

labant, ut ex lapide ſupra notavi. in eo enim Vercinia Forti Fortunæ Antiati votum ſolviſſe pro ſalute viri ſui Medici Antiatum legitur. Antiqui autem Equeſtrem dicebant Fortunam, quæ fortitudinem 26. communicaret, & victorias pareret, quod maxime equitibus fieri ſolebat, in quibus nervi ac robur exercitus plerumque ineſſet. Certe Flaccus, qui primus, ut dixi, Romæ templum tali cognomento dedicavit, illud in Hiſpania voverat, quod putaret, Fortunam fortitudinem equis, quibus fræna detrahi juſſerat, ut majori vi atque impetu in hoſtem incurrerent, communicaſſe. Propterea eamdem vim Virili ac Equeſtri Fortunæ ineſſe prædicabant, teſtimonium Anci Martii quarti Romanorum Regis in medium afferentes, qui Virili Fortunæ ædem dicaverat, ut fortitudini militum præeſſet; quam ideo eamdem ac Fortem Fortunam fuiſſe, notat Betulejus.

26. *Liv. lib. 41. & 42. Plutarch. de Fortun. Roman. ap. Roſin. Antiqu. l. 2. cap. 16.*

Neque vero his repugnat nummus Quincti Ruſtii, & alter pariter C. Antii, quos ſupra attuli, quamquam videantur exhibere imagines duarum mulierum, cum tamen Virilis Fortuna virili habitu 27. ac cultu pingi fingive ſoleret, ac Deus non Dea ſit habita, teſte Dionyſio, aliiſque poſt ipſum. Non repugnat, inquam; nam habitus cultuſque corporis in iis nummis exhibitus promiſcue & virilis & muliebris haberi poteſt. quod ambiguum veſtimentorum genus cernere eſt paſſim in aliis antiquorum, immo & recentiorum imaginibus; quale præſefert inter ceteras imago Actii Sinceri Sannazarii quam ex Muſeo Pauli Jovii expreſſerunt bonarum artium cultores, & ſectatores antiquitatis amantiſſimi Vulpii fratres mei in nova & accuratiſſima editione Carminum celeberrimi vatis, Patavii apud Cominum typis elegantiſſimis; quibus & quam-

27. *Dionyſ. l. 4. Lactan. l. 3. de falſ. ſap. Dempſter. ad Roſin. l. 4. c. 8.*

plurima auctorum probatissimorum monumenta vel primam, vel certe prima meliorem multo ac nitidiorem lucem aspexerunt. In ea namque imagine primo obtutu femina ne an vir repræsentetur, possis dubitare. Ceterum, Taciti testimonium quod templum Fortunæ Equestri Antii dedicatum commemorat, lapisque adductus, Forti adeoque Virili Fortunæ honores habitos Antii, satis superque confirmant. Quod si quis inde colligeret, bene erroris Tacitum damnari, quod sub Tiberio Romæ nullum Equestris Fortunæ templum fuisse scripserit, bene, inquam, damnari, cum ab Anco Martio Virili Fortunæ dedicatum extaret, Virilis autem Fortuna eadem esset atque Equestris juxta nuper allata testimonia, non proinde manus darem, ut cum illo tam inexcusabilis mendi vel etiam mendacii Tacitum condemnarem; idque duplici ex causa. prima quidem, quod Antii Fortunæ Equestri templum dedicatum idem Tacitus luculenter testetur: altera vero, quod Romæ templum ab Anco Fortunæ Virili dedicatum, templum etiam Fortunæ Equestris minime appellaretur. quamvis enim eadem haberetur vis ac virtus Equestris pariter ac Virilis Fortunæ, ac eadem utrique munia antiqui tribuerent, Romæ tamen, ut in urbe frequentissima, vastissima, ac opulentissima, singulis cognomentis seu titulis Numinum singula templa respondebant; quod in templis Jovis Capitolini, Feretrii, Statoris, aliisque aliorum Deorum variis cognominibus appellatorum patet. immo ipsius Fortunæ de qua nunc est sermo. Erant 28. siquidem Romæ templa Fortunæ Virilis Masculæ, Equestris, Fortis & Barbatæ, licet hi tituli eamdem fere virtutem exprimerent. At in Coloniis, quarum una Antium, uno templo Numen sub variis appellationibus idem venerabantur-

28. Rosin. Antiq. lib. 2. c. 16. Dempster. in adnotat. ad ipsum.

bantur, quod colonorum vires, & Coloniæ ipsius spatia tantam vim templorum, quot titulos quodlibet Numen haberet, ædificari minime paterentur.

Alterum autem simulacrum Fortunarum Antiatum Fortunæ Muliebris fuisse dixi. quamvis enim nullum hujus rei certum ex antiquis testimonium proferre possim, illud tamen me vehementer movet argumentum, quod Antiates Romanorum ex infensissimis hostibus post innumeras acceptas clades necessitate compulsi perditissimi assentatores evaserant, præsertim Imperatorum. Quis autem nesciat, Romæ via Latina ad quartum lapidem Romanos templum Fortunæ Muliebri dedicasse, quod Veturia mater Coriolani, & Volumnia ejus uxor precibus lacrimisque impetrassent, ut Coriolanus castra quæ ibidem ad Fossas Cluilias fixerat, Romam deleturus, inde deduceret, Antiumque re infecta & pace patriæ reddita licet ingratæ rediret. Licet 29. enim Antiates, ut in loco commemoravi, ob id Coriolanum morte mulctaverint, Actio Tullio, seu Tullio Aufidio animos civium maxime ad ejus necem inflammante, pœnitentia tamen ducti summo loco Coriolano eidem honorificentissimum sepulcrum excitaverunt. Cum autem Romanos rerum longe lateque dominos viderunt, Albanosque ac Laurentes auctores Romulum atque Ascanium Romanis præstitisse gloriantes audirent, a vero quam minime abhorrere videtur, Antiates quoque gloriabundos jactasse Coriolani eorum ducis clementia Romanam rem olim stetisse, Muliebrisque Fortunæ ipsos quoque templum ac simulacrum in perennem tanti facinoris memoriam consecrasse. Quod ipsum suadet priscus 30. ritus matronarum, quæ simulacrum Fortunæ Muliebris via Latina stato die coronare solebant quotannis, arcentes per

29. Cap. 2. hujus libri.

30. Liv. l. 3. Dionys. l. 8. Val. Max. l. 1. c. 8. Plutarch. in Coriol.

ſacerdotum primam ab hac celebritate viduas omnes ac olim nuptas. hunc ſiquidem ritum in templo Antiati cuſtoditum legimus apud Livium, qui ſub trigeſimi libri initium ait: *Mures Antii coronam auream arroſerunt*. in vetuſtis vero Codicibus Vaticanis legitur: *Mures Antii in æde Fortunæ coronas aureas arroſerunt*; illas nempe quibus ſingulis annis matronæ, Romanorum inſtar, Muliebrem Fortunam coronare ſolebant. Ex his itaque minime levibus, aut improbandis argumentis ac conjecturis alterum Fortunarum Antiatum ſimulacrum Fortunæ Muliebris fuiſſe haud immerito dixeris.

Illud enimvero minime probaverim, alterum ex his ſimulacris Fortunæ Reduci dedicatum fuiſſe, quod quidam exiſtimarunt, inſcriptionibus quas attuli, adducti; quod in iis Fortunæ Reducis mentio habeatur. Minime ſiquidem ignorant eruditi, priſcos illos profanos templis Fortunæ donaria, votivas tabellas, votivoſque lapides dedicaſſe multas ob cauſas, variaque ob beneficia, quæ illi referebant accepta; eamdemque Fortunam diverſis titulis celebraſſe, ſcilicet Adjutricis, Bonæ, Domeſticæ, Publicæ, Salutaris, Conſervatricis, Obſequentis, Reſpicientis, Sanctæ, Opiferæ, Felicis, Auguſtæ, Omnipotentis, & Reducis; quam ita appellabant, quod felix iter, vel felicem reditum e bello, vel longinqua regione præbuiſſet; quod notat priſcus lapis:

FORTVNAE REDVCI
PRO SALVTE ITV ET
REDITV FIL: TIBER:
VETERIS
CARANTILLVS EX VOTO POSVIT

Hi

Hi nempe tituli eamdem ſæpe Fortunam, ſive idem Fortunæ ſimulacrum ac templum deſignabant, cauſam vero ob quam quilibet voti reus donarium 31. ſive votivam tabellam aut lapidem ſuſpendiſſet, nominatim exprimebant; puta Conſervatricis titulus conſervatam valetudinem, Opiferæ opes allatas, Domeſticæ negotia privata cujuſque tutata, ac cetera hujuſmodi. Unde Reducis Fortunæ titulus Antiatibus Fortunis attributus eas vulgo ac paſſim Fortunam Reducem appellatas, minime evincit.

31. *Tomaſin. de Donariis c. 21.*

Nummus etiam quem Triſtanus 32. refert, in cujus antica facie templum expreſſum eſt cum titulo: *Fortunæ Reduci*, Triſtani ipſius ſententiam de ſacello Fortunæ Reducis Antii excitato haud ſatis evincit. Ait is auctor, rure Antiati Hadriani fuiſſe ſacellum Fortunæ Reduci dicatum ab eodem, cum ex Africa rediiſſet; vero tamen propius accedere videtur, Hadrianum redeuntem ex Africa nummum cudi juſſiſſe, quem ut donarium ob felicem reditum impetratum Fortunis Antiatibus offerret, quibus ſacrificaverat cum ex Africa Antium appuliſſet. Dixerim proinde, hunc nummum faciem ſive frontem templi Fortunarum Antiatum exhibere, ut exhibet Q. Ruſtii nummus, in cujus poſtica parte Fortunæ Reducis titulus legitur, in antica vero Fortunæ Antiatis, licet Ruſtius nummum dedicaverit Fortunis Antiatibus pro reditu felici Auguſti ex bello. Non negaverim nihilominus, Imperatores aliquando triumphantes atque e bello redeuntes Fortunæ Reduci templa dedicaſſe. Domitianum ſane id feciſſe conſtat, cum e bello Sarmatico rediiſſet victor. tunc enim templum Fortunæ Reduci ædificaſſe illum teſtatur Martialis his verſibus: 33.

32. *In Numiſm. Hadriani tom. 1. p. 476.*

33. *Lib. 8. Epigr. 65.*

Hic

Hic ubi Fortunæ Reducis fulgentia late
Templa nitent, felix area nuper erat.
Hic stetit Arctoi formosus pulvere belli
Purpureum fundens Cæsar ab ore jubar.

Sunt qui putant, in hoc templo Antiati Fortunæ responsa reddita fuisse petentibus per sortes; testante Suetonio, 34 Sortes Antiatinas monuisse Caligulam, ut caveret a Cassio, a quo etiam ipse interfectus fuit. Alii 35. tamen ab ipsis Fortunarum simulacris responsa reddita existimant, ajuntque, in exemplaribus Vaticanis C. Suetonii non *Sortes*, sed *Fortunas Antiatinas* legi. quam sententiam Macrobii 36. verbis confirmant; ait enim: *Ut videmus apud Antium promoveri simulacra Fortunarum ad danda responsa.* ex quo oculato teste satis constare videtur, simulacra ipsa responsa reddidisse, dum promoverentur, hoc est, circumferrentur. Sed quamvis Macrobii testimonium magni procul dubio sit ponderis, obscurum adhuc est, incertumque redditur ex altero Ciceronis 37. testimonio. Cicero quippe loquens de Sortibus Prænestinis apertissime asserit, oracula per sortes edita fuisse, & tamen addit: *Eodem tempore illo loco ubi nunc Fortunæ sita ædes est, mel ex olea fluxisse, Haruspicesque dixisse, summa nobilitate illas Sortes futuras, eorumque jussu ex illa olea arcam esse factam, in eaque conditas Sortes, quæ hodie Fortunæ monitu tolluntur. Quid igitur in his potest esse certi, quæ Fortunæ monitu pueri manu miscentur, atque ducuntur?* Adhuc itaque res est in incerto, utrum scilicet e simulacris ipsis redderetur responsum, an ex sortibus jactis, talis puta in medium projectis in templo Fortunæ. Mentio siquidem in Ciceronis verbis tum Fortunæ moniti, tum sortium jactarum habetur. Ex allato tamen Ciceronis testimonio, & ex Strabone 38. asserente, Præneste fuisse templum Fortunæ insigne oracula

34. *Sueton. in Caligul. c. 57.*

35. *Ligor. Blanchin. in ep. Antiat. Turr. c. 1. p. 13. & 14.*

36. *Macrob. Saturn. l. 1. cap. 23.*

37. *Lib. 2. de Divinat.*

38. *Strab. l. 5.*

cula

cula fundens, conficit Suaresius, 39. in templo Præne- 39. De Præ-
stino oracula reddita esse per sortes pariter, & per re- nest. antiq.
sponsa. Hæc sane sententia confirmari potest ex Lam- l. 1. c. 14.
pridio, qui 40. scripsit, Sortes Prænestinas Alexandro pag. 38.
Mammeæ filio, cum illi Elagabalus insidiaretur, re- 40. Lamprid. in Alex. Sev.
sponsum dedisse:

Si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris.

Hinc siquidem habetur, etiam in templo Prænestino non tantum per talos priscarum literarum notis inscriptos, sed etiam per versus aliquando consulentibus responsa reddita. Quod & Antii in templo Fortunæ factitatum, haud temere quis existimaverit.

Arbitror nihilominus, tum Præneste, tum Antii per sortes semper responsa reddita fuisse, quod apud antiquos sortes ipsæ pro oraculo sæpius sint usurpatæ, ut apud Rosinum Dempsterus 41. notavit. Certe 41. Lib. 7. pag. 449.
Pausanias in Achaicis sortium per talos jactarum meminit, eisque oraculi nomen tribuit. *Buræ in Achaja*, inquit, *via qua ad mare descendebatur, amnis erat Buraicus nomine. In proxima spelunca non utique magnum Herculis signum: Buraico & ipsi cognomen. Oraculi sortes capiuntur ex tabula per talos. qui consultum venere, precatione ad signum peracta, votisque nuncupatis, talos ex ea quæ in promptu est copia jaciunt quatuor super mensam. Inscripti sunt certis notis tali singuli. earum illi notarum interpretationem in tabula similitudinem sequuti requirunt.*
Jam vero in iis templis in quibus hujusmodi responsa reddebantur, sortesque capiebantur, tres præcipui distinctique muneris sacerdotes erant, quorum alterum Fatidicum Vatem appellabant, alterum Augurem, sive Sacrificulum, tertium Sortilegum. In templis ubi Fortuna voce responsa reddere credebatur, sacerdotes

men-

mentita divinitate credulitati vulgi illudere consueverant. Latitantes siquidem ut plurimum post simulacra in cavo aliquo ac perforato gurgustio, responsa quæ ab ipso simulacro edi putarentur, 42. ipsi reddebant; quod munus, Deo Optimo Maximo altissimum ob consilium permittente, mali Genii quandoque usurpabant. Hic autem egregius Fatidicus Vates, quem magicis artibus imbutum vulgus prædicabat, antequam responderet, audiebat consulentium casus, rerumque illorum seriem, mentem & vota, factoque prius sacrificio, & re mature perpensa, 43. ne scilicet ambiguum responsum ad popellum miserrime decipiendum umquam deesset, referebat ad Augurem, & Sortilegum, extisque inspectis, & captato augurio, ac jactis sortibus, ex his omnibus quod sibi commodissimum videretur, concinnabat responsum, quod tandem ex antro illo ac gurgustio per os simulacri redderet. Ceterum ut certiorem versutiis istis facerent fidem, percontabantur sacerdotes a consulentibus, scrutabanturque diligentissime quæcumque audissent, vidissent, notassentve, dum hæc omnia peragebantur, atque quidquid se audisse, vidisse, aut notasse ii dicerent, opportuna sacerdotes interpretatione excipiebant. Sane hæc omnia tanta religione, silentio, tenebris, solitudine peragebantur, ut qui oraculum consuluissent, ingenti ejusdem parta opinione domum redirent, minimeque dubitarent, Numen sibi locutum, eventurumque quidquid prædixisset futurum. Verum juvat ex Pausania profanum hunc ritum totum ob oculos ponere. Pausanias 44. itaque in Bœoticis de Trophonii antro atque oraculo loquens, *Qui accedebant*, inquit, *ad Oraculum Trophonium, ad subterraneam cellulam forma furno persimilem descendebant. In al-*

42. *Lactant. de orig. error. l. 2.*

43. *Lactant. ibid. Dempster. in not. ad Rosin. Antiq. Rom. l. 2. c. 7.*

44. *Lib. 9. pag. 603.*

altum erat hiatus haud amplius octo fere cubitorum. Nulli vero gradus constructi erant, qui ingressum ad imum solum demitterent, sed ad Trophonium descensuri scalas admovebant angustas æque atque habiles. Ubi descensum fuisset, media inter solum & antri testudinem cavernula erat latitudine duorum dodrantium, altitudine dodrantis. Qui eo penetrabat humi procumbens melle subactas offas tenens, pedes prius in cavernulam illam immittebat, mox genua properabat ad pedes adjungere, statimque reliquum corpus ad genua contractum eodem prope modo quo si maximi & concitatissimi amnis aquarum vortice correptus fuisset, intro abripiebatur. Qui intra penetrale descendebat, ex visis alius, alius ex auditis id consequebatur. Per easdem fauces patebat reditus. Consultorem a Trophonio reversum sacrificuli in solio statim collocabant, quod positum erat non procul ab adyto. Ab illo percontabantur quæcumque vel visa vel audita reportasset. ea ubi acceperant, suis illum reddebant. Hi sublatum hominem in cellam Bonæ Fortunæ & Boni Genii, in qua primum veniens commoratus fuerat, reducebant, multo illum quidem terrore attonitum & suimet atque omnium qui aderant oblitum. Resipiscebat tamen paulo post & prima ei mens & risus redibat. Cogebantur sane omnes qui a Trophonio redibant, quæcumque vel audiverant vel viderant, a se conscripta in tabulam referre. Hactenus Pausanias.

Meminit etiam alterius 45. Oraculi, quod colebatur Patris in templo Cereris, ex quo responsa edi solebant speculo adhibito. *Prope Cereris ædem*, inquit, *fons erat, qui a templo pariete lapideo secludebatur. ad eum fontem per exteriorem tramitem descendebatur. Ibi Oraculum maxime veridicum erat. Cognoscebantur ex eo non rerum omnium, sed morborum dumtaxat eventa. Speculum tenui suspensum funiculo demittebant ita librantes ut in fonte omnino non mergeretur, sed imo ambitu summam aquam contingeret.* 45. *In Achaic. pag.* 489.

P 2 *Exin-*

Exinde ubi odores adolevissent, rite Deam precati inspiciebant in speculum, & in ejus imaginibus periturusne, an victurus is æger esset de quo consuluerant, divinabant.

Idem tandem auctor, ut hoc quoque novissimum addam, meminit alterius diversi Oraculi in hæc verba: 46. *Pharæ Achæorum oppidi in ripis Pieri fluvii prope lucum platanorum, erat forus, ubi erat signum Mercurii & Oraculum. Ante Mercurii signum Vesta & ipsa marmorea. Appositæ ei sunt plumbo ferruminatæ æneæ lucernulæ. Qui Deum consulunt, Vestam primum ture incenso placant, deinde oleo infuso lucernas accendunt, tum vero in aræ dextera parte nummum patria nota signatum (appellant aureum) dedicant. ubi quid ex usu fuerit quis interrogaverit, aureum simulacro admovet; inde e foro abiens manibus aures premit. ubi e foro excessit, amota manu, quam primum excipit vocem, eam sibi oraculi loco ducit. Talis etiam apud Ægyptios in Serapidis fano celebratur Oraculi religio.* Hæc ille.

46. *Ibid. p.* 440.

In illis autem templis in quibus Fortuna oracula edebat per sortes, veluti Præneste & Antii, pluribus modis id factum legimus. Alibi enim per jactas sortes tantummodo sine responso vaticinia capiebantur. Hæ vero sortes tali erant, vel syngraphæ, aut tale quid in hanc rem præparatum. hæ projiciebantur in tabulam sive mensam, formula adhibita quam Pindari interpres 47. refert: *Si me jaciente, hoc contigerit, eveniet: sin minus, non eveniet.* Quandoque e gremio, seu pulvinari Deorum, sive ex urna, aut situla, aut alterius generis vase sortes in solum decidebant, non sine arte Antistitum, qui post varios ritus ac solemnia, sortem ipsam aut gremio aut pulvinari imponebant. atque hæ sortes verbis vel versibus in foliis aut membranis aut chartulis inscriptæ prodibant, ut patet ex Livio 48. referente de sortibus Faleriis: (licet quidam

47. *In Od.* 4. *Pythior.*

48. *Lib.* 22.

dam illum de Antiatinis Sortibus locutum autument) *ſortes ſua ſponte attenuatas, unamquamque cecidiſſe ita ſcriptam*: MAVORS TELVM SVVM CONCVTIT. Quandoque etiam reſponſa data ſunt a Sortilego, ſive ſacerdote cujus erat ſortes interpretari; quod factum fuiſſe narrat Pauſanias 49. in urbe Ophitea in templo Liberi Patris: ibi nempe oracula per ſacrificulum reddita, qui divino afflatus inſtinctu de futuris conſulentes certiores faciebat.

49. Phocicis, ſeu l. 10.

Ex his intelliges 50. Capitolinum referentem, Clodium Albinum, dum ſortes de fato ſuo tolleret, his verſibus ab Oraculo reſponſum accepiſſe:

50. In vita Clod. Albini.

Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Siſtet eques, ſternet Pœnos, Gallumque rebellem.

intelliges quoque Lampridium referentem carmina quibus Sortes Præneſtinæ Alexandro Severo reſponderunt. Non enim reſponſa data ſunt ab Oraculo, ſed interpretatus ſortes Sortilegus, vel ſacerdos alius per carmina reſpondit, vel carmina ipſa decidebant in ſolum e gremio vel pulvinari ſimulacri inſcripta chartis ſive membranis de induſtria, ita ut deciderent a miniſtris collocatis, dum ſortes miſcerentur; quod canit Horatius: 51.

Dictæ per carmina ſortes.

Lampridii verba ſubdo. *Ipſe*, inquit, (nempe Alexander Severus) *cum vatem conſuleret de futuris, hos accepiſſe dicitur verſus adhuc parvulus & primis quidem ſortibus:*

51. Horatius in Arte Poetica. Lamprid. in Alexand. Sev.

Te manet imperium cæli terræque mariſque:
Te manet imperium quod tenet imperium.

Itaque, ſicuti certum eſt apud omnes, Præneſte Fortunam fudiſſe oracula per ſortes, ut ex Cicerone & Suetonio plane conſtat, confirmaturque ex illo Propertii:

P 2 *Nam*

52. *Nam quid Prænestis dubias, o Cynthia, sortes,*
Quid petis Ææi mœnia Telegoni?

52. *Lib. 2. Eleg. 23.*

Et tamen Cicero ipse loco quem attuli, scribit, Fortunæ monitu pueri manu sortes miscentis eas ductas ex arca: & Lampridius sortes Prænestinas testatur carminibus respondisse: mirum ita non erit, si Macrobius dicat, apud Antium promoveri simulacra Fortunarum ad danda responsa; non quod simulacra ipsa dum promoverentur a sacerdotibus responderent, sed quia post preces conceptas, post sacrificium rite peractum, ceterisque præmissis quæ consueverant adhiberi, priusquam consulentes miscerent sortes & ducerent, simulacra ipsa, quemadmodum Præneste quoque fiebat, promovebantur; quo quasi miraculo 53. monere Dea credebatur, sortes esse movendas. Quam in sententiam scripsit Suetonius, Sortes Antiatinas monuisse Caligulam, ut caveret a Cassio; cui cum Macrobio & reliquis optime poterit convenire, si interpretatio huc usque exposita commodum adhibeatur. Ceterum in templo Fortunæ Antiatis sacerdotes viri æque ac feminæ ministrabant. viri quidem Forti Fortunæ sive Equestri ac Virili, tresque numero potissimum, quos ante recensui, Fatidicus Vates, Augur, & Sortilegus, quibus inferioris ordinis sacrificulorum in ministerio turba non defuit: feminæ 54. vero quæ Fortunæ Muliebris sacra curarent, simulacrumque ejus quotannis coronarent. hæ autem prisco ritu neque olim, neque bis nuptæ, neque viduæ adhibebantur, verum recens nuptæ.

53. *Anton. Van Dale de Orac. dist. 2. p. mihi 344. & seqq.*

54. *Dionys. l. 8. Ælian. in Var. Hist. l. 13. Serv. in l. 4. Æneid. & alii.*

Donariis autem ornatissimum ac locupletissimum fuisse templum Antiatis Fortunæ, Porphyrius & Acron 55. Horatii interpretes memorant, ajuntque, summos duces, ac Imperatores vota sæpe fecisse ac solvisse For-

55. *In Od. 31. lib. 1.*

Fortunis Antiatibus, donariisque ditasse templum; quod persuasum haberent, victoriam ope Fortunæ obtinuisse; ex quo etiam testimonio, Equestrem seu Virilem Fortunam in hoc templo cultam, quilibet confirmet. Cum vero donaria in immensam ferme copiam immensumque pretium excrevissent, 56. Augustus Cæsar ingentem eorum vim collegit, illamque universam in impensas belli Civilis erogavit, violata profanorum illorum consuetudine ac religione, ex qua nonnisi 57. jussu Pontificis Maximi, idque fere a sacerdotibus, donaria, tabellæ votivæ, aliaque hujusmodi in templis exposita inde auferri poterant. quod Flamines ac Pontifices ipsi tunc præstabant, cum ob nimiam multitudinem impedimento potius quam ornamento templis essent. tunc enim submotis rudioribus ac vilioribus, cetera in meliorem circa templum ordinem digerebant, 58. vel in aliud quippiam quod templo inserviret, divendita permutabant.

56. Appian. l. 5. Bell. Civil.

57. Dio in Cæs. Aug. Tomasin. de Donar. c. 6.

58. Liv. l. 40. Val. Max. l. 6. c. 6. Sil. Italic. l. 10.

Denique cum ii qui Fortunam consultum venerant domum redirent, tribus coronis sese coronabant; caput, frontem ac collum, 59. triplicem animi vim designantes, scribebantque, ne memoria excideret, acceptum oraculum.

59. Interpr. Sophocl. ap. Bulenger. de Orac. c. 101.

Sane Fortunæ cultus a Græcis in Latium, exinde Romam traductus est. Priscis enim illis Græcis modicus fuit Fortunæ cultus, vixque eam Deam nominabant, cum fortasse major illis inesset prudentia. *quæ si adsit*, ajebat ille, 60. *nullum Numen abest, sed nos te facimus, Fortuna, Deam, cæloque locamus*. Certe Homerus poetarum princeps ac pæne antiquissimus hymno in Cererem Fortunam filiam Oceani dixit, & Tychen appellavit, neque ullam ei vim in homines tribuit. immo in Iliade, ubi Diis omnibus ac Deabus locus, Fortunam omisit.

60. Juvenal. Satyr. 10.


ſit. Bupalus autem templis ædificandis ſimulacriſque fingendis cum primis ſolers, cum Smyrnæis Fortunæ ſignum primus omnium finxiſſet, capiti ipſius Polum impoſuit, altera vero manu Amaltheæ cornu tenentem expreſſit. Unde Pindarus poſt ipſum plura cecinit de Fortuna, eamque *Pherepolin*, quod recte interpreteris *urbium tutelam*, dixit. A Pindaro autem Græci omnes Fortunam rerum humanarum Numen maximum prædicabant. Græcis itaque 61. Latium incolentibus, Latiniſque omnem ſuperſtitionem inde mutuantibus, Fortuna pariter in Latio coli, Antii præcipue ac Præneſte cœpta eſt; unde felicia omnia ſibi expectarent, & qua placata, omne infortunium omnemque calamitatem a ſe ſuiſque rebus averterent; quæ profanorum peſtis adhuc in Latio vigebat ætate Valentiniani 62. atque Gratiani Imperatorum. uſque adeo altas ibidem radices egerat. Nunc quidem nullo in templo colitur Fortuna, impii tamen ac perditi homines non deſunt, qui Caſum, Sortem, Fortunamque ipſam rerum dominam hominumque tutelam putent; cum tamen Dei Optimi Maximi providentia omnia ſapientiſſime dirigantur. quod luce clarius meridiana conſideranti patebit.

61 *Lactan. l. 3. c. 29.*

62. *Symmac. ap. Suares. de Præneſt. antiq. l. 1. c. 14.*

Addam hucuſque narratis de Antii templis, nonnulla veluti mantiſſæ loco de templis Antii olim extructis in honorem Romanorum aliquot Imperatorum, deque collegiis virorum, ac ſacerdotibus qui per ſummam aſſentationem eorumdem ſacra curabant. Primum itaque omnium Auguſto dedicatum fuit templum Antii; quod innuunt lapides duo, quos ſupra adduxi. ex iis enim conſtat, M. Vercinium Phagonem M. libertum Medicum Antiatem Antii Seviris Auguſtalibus adſcriptum; unde confirmes, ab Antiatibus templum Auguſto

Tab. XIV.



Rudera Antiquissimi atque olim celeberrimi Templi Fortunæ Antiatis, quæ adhuc extant ad antiquum Antij Portum

guſto dedicatum, & Sodales, nempe Auguſtalium collegium, ab ipſis inſtitutum, a quibus Auguſti ſacra curarentur. Sane Auguſtus adhuc ſuperſtes ut Deus paſſim coli cœptus eſt. Ut enim poeticum figmentum putes illud Virgiliani Tityri canentis de Auguſto: *63.*

63. *Virg. Eclog. 1.*

Hic illum vidi juvenem, Melibœe, quotannis
Biſſenos cui noſtra dies altaria fumant,

certe Horatianum teſtimonium nemo non accipit, quod ſic habet de Auguſto: *64.*

64. *Horat. Ep. 1. l. 2.*

Præſenti tibi maturos largimur honores,
Jurandaſque tuum per nomen ponimus aras,
Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.

Coluit autem illum ut Deum non tantum Roma, verum & Coloniæ fere omnes *65.* ac Provinciæ eidem ſuperſtiti ac mortuo etiam templa, ſacerdotes, & collegia dedicarunt; quod & ſcriptores fere omnes memoriæ prodiderunt, & bene multi effoſſi lapides cum inſcriptione: *66.* AVGVSTALIS. paſſim confirmant. Horum Auguſtalium virorum princeps erat Flamen Auguſtalis, veluti ſacerdotii illius Pontifex Maximus. Romæ quidem Auguſtalium collegium viginti quinque viri conficiebant, at in Coloniis Auguſtalium collegia nunc e Seviris, nunc e decem viris, modo etiam ex duodecim viris leguntur inſtituta. Ceterum Antiates tum reliquorum populorum exemplo excitati, tum peculiaribus ab Auguſto beneficiis provocati, eidem Bene Merenti templum ac collegium dedicaverunt. Auguſtus ſiquidem *67.* ſumptuoſiſſimis extructis ædibus Antium Coloniam decoravit, dilexitque cum primis, ejuſque deliciis atque otio ſæpius uſus eſt.

65 *Appian. l. 5. Bell. Civ. Sueton. in Aug. cap. 52. Tacit. l. 1.*

66. *Ap. Gruter. & alios.*

67. *Vide ſup. c. 3. hujus libri.*

Trajanales pariter a Trajano, atque Hadrianales ab Hadriano Sodales Antii fuiſſe, nuper effoſſus lapis commemorat:

EROS

EROS AVG. EL:
PROCVRATOR
CAENIDLIANVS
CVM M. ANTONIO
QVIR: CANDIDO
FILIO SVO
TRIBVNIS SODALIBVS

Eros quippe in lapide inſcriptus erat procurator Ælii Antonini Auguſti, & cum Sodalibus ſuis Antonino Pio Imperatori ſtatuam vel quid hujuſmodi dedicaverat. licet autem hæc inſcriptio minime explicet quorumnam Sodalium ibidem mentio fiat, de Trajanalibus tamen & Hadrianalibus ibi ſermonem eſſe, pronum eſt credere. Cum enim Ælius Hadrianus devexa jam ætate L. Aurelium Cejonium Commodum Verum adoptaſſet, hoc ſublato, Arcium Antoninum cognomento Pium collegam adſcivit, hac lege, ut ille duos Antoninum Verum Ælii Cæſaris filium & Marcum Antoninum Philoſophum appellatum pariter ſibi collegas adjungeret. Antoninus igitur Pius Genti Æliæ per adoptionem inſertus, & juſſu Hadriani Ælius & ipſe appellatus, Sodales qui ſacra Hadriani & Trajani totiuſque Æliæ Gentis curarent, inſtituit; immo templum pro ſepulcro apud Puteolos Hadriano patri conſtituit, illius inſtar quod Bovillis erat Gentis Juliæ, atque apud Antium Gentis Claudiæ & Domitiæ. Quinquennale etiam certamen Flamineſque ac Sodales ab eodem in honorem Hadriani conſtitutos memorant Spartianus & Capitolinus, & antiquus lapis confirmat: *68.*

68. Ap. Ligor. v. Plaetoria.

IOVI CONSERVATORI ET IVNONI SANCTAE
SACRVM

C.

C. PLAETORIVS C. F. STELLATINA PHOEBVS
VI. VIR AVGVSTALIS
SODALIS TRAIANAI ET HADRIANAI
IIII VIR QVINQVEN:
PATR: IVVEN: TREBVL: LVTVS: VOT:
SOLV: LIB: MERIT:

Cum autem Hadrianus nobiles Antii ædes extruxiſſet, dilexiſſetque cum paucis hanc Coloniam, & ipſe Antoninus Pius Antii aquæductus ædificaviſſet, facile erit conjecturam facere, Antoninum ipſum conſtituiſſe Antii Hadriano patri templa & Sodales, qui ejuſdem ſacra curarent, & Sodalium collegium quorum meminit adductus lapis, ad Antium eſſe referendum; Antii nempe inſtitutum pro Gente Ælia vivo adhuc Antonino, cujus procurator in lapide inſcribitur Eros. Ludicrum tamen Circenſe Quinquennale, Flamineſque in honorem patris Antoninum inſtituiſſe non Antii, verum Puteolis in villa quæ olim Ciceronis fuerat, veriſimilius duxerim. Antii ſiquidem id ludicrum prius inſtitutum ab Nerone fuerat pro Gente Claudia & Domitia, ut in loco commemoravi, opportunuſque 69. ſermo redibit. Ceterum, cum apud profanos pietas ſucceſſoris in patrem argueretut maxime ex templis & aris in illius honorem erectis, Antoninus hic Pii cognomentum ex hoc maxime adeptus eſt, quod totus eſſet in hujuſmodi templis atque aris Hadriano patri excitandis, collegiiſque Sodalium inſtituendis tum Romæ tum in Coloniis ferme omnibus, in quibus Æliæ Gentis ſacra conſtituit. Adeo ut Coloniæ ipſæ, ac in primis, ut quæque Romæ propior eſſet, per ſummam adulationem in condendis templis decernendiſque Sodalibus in Hadriani honorem decertaverint. Sic Tre-

69. Cap. de ludis.

Q bulæ

bulæ cives ac Lutuſcæ feciſſe memorat ante adductus lapis. Sic etiam factum ab Albanis indicat alius lapis
70. Claſſ. 16. tab. 2. pag. 794. a Reineſio allatus cum inſcriptione: 70.

L. ANTONINVS
EX VOTO PATRIAE
GENTIS AELIAE
SODALITATIBVS

hoc eſt *Sodalibus*. ex quo lapide conſtat, L. Antoninum Verum, quem alii L. Annium appellant, ut notat Capitolinus, alii Fulvum, ſeu Fulvium, ut tradit Eutropius, Albæ hanc Sodalitatem, quam appellat, conſtituiſſe. Maxime igitur conſentaneum erit pietati ipſius Antonini, a qua Pii cognomen accepit, Antii in ur-
71. Vid. c. 3. be, in qua 71. magnificentiſſimas ædes, immo Regiam Hadrianus extruxerat, collegium Sodalium Hadrianalium illum conſtituiſſe, præſertim cum ipſi mos eſſet Antii ſæpius otiari. Certe, Antonino e vivis ſublato, Romæque conſecrato, Antiates in grati animi monumentum, ob plurima beneficia quæ in ipſos contulerat, & præcipue ob operum publicorum immenſas moles quibus hanc Coloniam auxerat & ornaverat, aram, templum, & Sodales dedicaverunt, qui ſacra quæ in ejus honorem fiebant, curarent. quod Li-
72. v. Aræ Piæ. gorius confirmat 72. teſtimonio effoſſi lapidis, cujus ipſe fragmentum Antii vidit cum inſcriptione:

ARA PIA

Fuit etiam Antii templum ſive ſacellum ſive ædicula, aut certe ara aliqua Imperatori Claudio dedicata; quod affirmare auſim adductus eo argumento, quod Claudio alibi certe fuerint decreta atque erecta templa,

pla, instituta sacrificia, constituti sacerdotes, qui ejus sacra curarent. Sane Tacitus 73. memorat, in Britannia sacerdotes Claudiales obtentu religionis rem omnem familiarem civium evertisse. Romæ autem ipsa Claudii uxor Agrippina Flaminicæ sacerdotis Claudialis munere functa est ex Senatusconsulto. Unde notandum, Imperatorum hujusmodi sacerdotia curasse tam viros, quam feminas. quem morem etiam lapis apud Spanhemium ostendit: 74.

73. *Lib. 14. Annal.*

74. *De præstant. & usu numismat. dissert. 7.*

T. FLAVIO AVG: LIB: FLAMEN
DIVI TITI ANN: III: VIXIT ANN: LII
MENSIBVS VIII: DIEBVS VIIII
HORIS VI:
FLAVIA FLAMINA FLAVIALIS
ET IVLIA AMISSA LIB: FLAMI-
NIA HAER: EX TEST: P. CVR:

Ex quo habes, Domitianum collegium Flavialium, & templum patri ac fratri Flaviis Vespasiano & Tito dedicasse. quod etiam prodidit Suetonius. Romæ tamen in Flamines ac Flaminas, 75. sive Flaminias aut Flaminicas initiabantur tantum ex amicissimis consecrati Imperatoris, immo fere ex cognatis iisque maxime conjunctis, ut in Agrippina nuper animadvertere licuit; cum itaque in lapide *Flamen Divi Titi* inscribatur *libertus*, & *Flaminica liberta*, dicendum erit, lapidem designare aliquam Coloniam, in qua hi liberti Titialia sacra procuraverint, ne Romæ, præter morem, liberti Imperatoris Flamines constituti dicantur. Nisi tamen etiam Romæ liberti, veluti amicissimi Imperatorum, delecti sunt, qui fungerentur hoc munere, cum inter illorum amicissimos sæpenumero non mo-

75. *Tacit. lib. 1. & 11. Annal. Capitolinus in M. Aurelio.*

do liberti censerentur, verum non raro inter eosdem principem locum tenerent. Ceterum cum Nero Antii ludicrum Circense pro Claudia & Domitia Gente instituerit illius instar quod Bovillis pro Gente Julia fuerat institutum, illum etiam Claudio templum & Flaminem Claudialem, & Flaminicam ceterosque Sodales instituisse qui dicat, a vero minime aberraturum existimo.

Titiales etiam Flamines, quos libri hujus capite tertio 76. Antii fuisse commemoravimus, templum ac Sodalium collegium Tito dicatum ibidem fuisse innuunt.

76. Vid. c. 3.

Apollonio vero Tyaneo templum Antii dedicatum affirmare non ausim, quamquam summo illum Antii in pretio habitum, illiusque monumentum aliquod extitisse, Philostratus in ejus vita 77. memoriæ prodidit. Hic siquidem agens de libello ab eodem Apollonio conscripto & nonnullis ejusdem epistolis, *Est autem*, inquit, *is libellus Antii suspensus, & ob eam maxime causam is locus celebratus. Est autem Antium civitas Italiæ secus mare posita. De libello autem hoc mihi relatum est, fuisse libellum hunc post mortem Apollonii delatum ad Imperatorem Hadrianum, & simul Apollonii epistolas aliquot, (non enim omnes colligere potuit) atque hæc omnia Hadrianus in Regia quam Antii habebat, collocavit. Nam præter ceteras Italiæ civitates Antio maxime delectabatur. Venerunt autem illuc ex Ionia familiares omnes Apollonii, quos Apollonienses Philosophos Græci vocabant. ibi locorum indigenis permixti juventutem effecerunt cum numero tum amore studioque erga Philosophiam admirabilem. Negligebant autem penitus Oratoriam facultatem; & ejus disciplinæ sectatores aspernabantur, quod linguam dumtaxat, non autem mentem redderet eruditiorem.* Cum autem idem Philostratus scripserit, Hadrianum


77. Philostr. in Vita Apoll. l. 8. c. 8.

in

in larario imaginem Apollonii venerari ſolitum, & Apollonienſes Philoſophos Apollonio magiſtro templum & aras tamquam Semideo dedicaſſe, illumque vivum immortali apud Superos vita donatum in vulgus ſpargere ſolitos; Antii quoque ab iis qui ad ejus libelli viſendi famam eo convenerant, aliquo Apollonium cultu celebratum, probabile eſt. Idque eo maxime quod præcipua Apollonienſium induſtria hæc erat, ut magiſtri ſui divinitatem mentibus eorum quos philoſophicis præceptis imbuebant, inculcarent, eique tamquam Semideo divinos honores eſſe reddendos. Ceterum de Apollonio plura quærenti Philoſtratus ipſe legendus, ac Flavius Vopiſcus in Aureliano. Templi Fortunarum Antiatum quæ vulgo Antii putantur rudera, a me nuper inibi diligenter inveſtigata atque inſpecta, hic, ut in loco, appingere volui, ne quid quod noſtris his commentariis lucem aliquam daret, omnino deeſſet.

CAPUT VI.

De ludis Antiatum.



HACTENUS ea commemoravi quæ Antium exornabant quondam ſumptuoſiſſima ac magnificentiſſima ædificia qua publicis qua privatis uſibus deſtinata, ac præcipue templa a profanis, Diis ſuis, immenſis ſumptibus dedicata. Nunc rectus narrationis ordo poſtulare videtur, ut ea quæ circa templa ut plurimum celebrari ſolebant ſpectacula ſummatim ſaltem attingam, & ſingula vel curſim commemorem. De ludis itaque Antiatum in præſentia ſermo erit, &

ex

ex probatiſſimis auctorum teſtimoniis, quæ certiora videbuntur, ut in tanta rerum ac temporum vetuſtate ac oblivione, in medium proferre conabor.

Circenſes itaque cum primis ludos eoſque maxima pompa ab Nerone Antii celebratos, ſatis conſtat ex Taciti 1. teſtimonio. Ait ſiquidem, Neronem Imperatorem Antii natum inſtituiſſe Antii ludicrum Circenſe Claudiæ Domitiæque Genti, ut inſtitutum erat Juliæ apud Bovillas; ac pro perpetuitate, impetraſſe ut Senatuſconſulto perennis quotannis ludicri hujus inſtitutio decerneretur, in memoriam Claudiæ Poppeæ 2. filiæ Antii natæ; quod & Suetonius memoriæ prodidit, aliique commemorarunt. Plinius autem narrat, 3. libertum Neronis Antii munus gladiatorium dediſſe, porticuſque publicas pictura conveſtiviſſe, gladiatorum miniſtrorumque omnium veris imaginibus redditis. Cicero 4. etiam Attico ſcribens refert, alios ludos Antii quovis anno per triduum editos, a quarto ſcilicet ad pridie Nonas Majas; quos ludos delicioſiſſimos appellat. Plura tandem monumentorum antiquorum fragmenta varios ludos in hac Colonia exhibitos olim, teſtantur.

1. Tacit. l. 15. & 16.

2. Sueton. in Neron. Bulenger. de Circ. c. 6.

3. Lib. 35. c. 7.

4. Lib. 2. ep. 8. & 10.

Et de Circenſibus quidem, quorum deſiderio ac voluptate uſque adeo Populus Romanus aliquamdiu affectus eſt, ut qui olim regna & faſces daret, duas poſtmodum tantum res optaret anxius, 5. panem ſcilicet & Circenſes, plurima apud ſcriptores antiquos mentio. ſæpiſſime ſiquidem celebrabantur, & antiquiſſimo ritu deducti erant. De eorum tamen auctore ſive inſtitutore inter ſcriptores minime convenit. Alii ſiquidem Circenſium originem Herculi tribuunt, quem narrant apud Elidem curuli certamine victorem oleaſtro coronatum ludicrum Circenſe inſtituiſſe. Alii Romulo,

5. Juvenal. Satyr. 10.

mulo, 6. Oenomao alii apud Elidem ipſam Græciæ urbem. Jovem nonnulli eorum auctorem dixerunt. Plerique Atreum, cum Pelopi patri funebres ludos feciſſet, in quibus Hercules victor fuit. Ego tamen eorum ſententiæ accedo qui hos ludos ſcribunt primum a Circe inſtitutos, quam antiqui Solis filiam fabulabantur. Sane hæc ſententia validiſſimis argumentis innititur. Primum quidem, quod præcipuum eſſe ſolet, nomen ipſum, quod hi auctores a Circe deductum prudenter putant, a qua hi ludi Circenſes appellati ſunt: alterum a conſuetudine Circenſium. Siquidem memoriæ prodiderunt ſcriptores omnes, hoc ludicrum a profanis inſtitutum, ut curſum Solis, quem quadriga ferri dicebant, deſignarent. Propterea omnis Circus Soli præcipue conſecratus erat, cujus ædicula medio Circo, & effigies e faſtigio ſublimis emicabat, atque ob eam cauſam Circum non ſub tecto, ſed ſub dio in aperto ſemper dedicare conſueverant; quod eleganter 7. Corippus deſcripſit:

6. Vel l. 1. de Olymp. Hygin. fab. 273. Diod. l. 4. & alii ap. Bulenger. de Circ. Rom. c. 2.

7. Lib. 1.

Solis honore novi grati ſpectacula Circi
Antiqui ſanxere patres, qui quatuor eſſe
Solis equos, quadam rerum ratione putabant;
Tempora continui ſignantes quatuor anni.
In quorum ſpecie ſignis numeriſque modiſque
Aurigas totidem, totidem poſuere colores.
Ipſe ingens Circus, plenus ceu circulus anni,
Clauditur in teretem longis anfractibus orbem,
Amplectens geminas æquo diſcrimine metas,
Et ſpatium mediæ, qua ſe via pandit, arenæ.

Ex quibus ſignis & vulgi perantiqua opinione Tertullianus 8. ab Circe Solis filia hoc genus certaminis in honorem patris ſui primum editum fuiſſe ipſe quoque probavit; cui Iſidorus 9. & Schola Græcorum acceſſe-

8. De Spectacul. c. 8.

9. Lib. 18. c. 25. & 28.

10. De Circ. c. 2. cessere; quos omnium novissime 10. Bulengerus secutus est. Antii itaque non ab Nerone primum Circenses editos; verum ab ipsis Antiatibus multo ante Neronem exhibitos, autumaverim. Antiates siquidem, ut libri hujus initio commemoravi, ad Anthejum sive Anthiam Circes filium, urbis ac generis sui originem referebant. Circejis deinde proximi erant, ubi Circe summa religione colebatur, veluti generis, ac Coloniæ princeps, quam Historici omnes Circes Regiam appellant. Id ipsum mos Priscorum Latinorum confirmat, inter quos Antiates numerabantur. Prisci enim Latini bellum indicturi, vel ad pugnam profecturi, gladiatoria prius spectacula edere consueverant, in quibus effuso civium sanguine Fortunam satiarent, ne novum in prœlio exposceret, ut ex Capitolino Beroaldus 11. notavit. hoc idem itaque ab Antiatibus factitatum, verisimile est, cum præcipue antiquissimum Fortunæ fanum hi in suo oppido dedicassent. Gladiatorium autem munus Circensium ludorum partem eamque præcipuam extitisse, nemo est qui ignoret. Certe Tertullianus 12. ipse asserit, Circenses ludos habitos passim in oppidis veterum Latinorum antequam sub Imperatorum potestatem Romana Respublica redigeretur, eosque more Romano editos, factis etiam sacrificiis; & confirmat antiquus lapis licet mutilus ac deturpatus, quem Caferrus se superstite in hortis Pamphiliis Antii effossum testatur. in eo autem hæ notæ leguntur:

11. In notis ad Sueton.

12. Lib. 7. de Spectac.

APP. CL. CIR. R.

- - - - - - - - - - - - - - - - -

- - - - - - - - - - - - - - - - -

S. P. Q. A.

Has

Has enim notas ſic appoſite interpretor: *Appii* vel *Appio Claudio Cæco*, vel *Cenſori*, *Circi Reſtitutori*, *Senatus Populuſque Antias*, ſupplendo ea verba quæ in lapide deficiunt, *in perenne* ſcilicet *monumentum*, aut quid hujuſmodi. Certe conſtat, 13. Appium Claudium Cenſorem *13. Ex Liv. Frontino, Val. Max. Diodor. &c.* ſtraviſſe viam Appiam, pluraque ædificia in oppidis eidem viæ proximis condidiſſe, pluraque reſtituiſſe; quo beneficio certe non caruit Antium oppidum præcipuum inter cetera Appiæ viæ proximum. Circus itaque Antii fuit, iſque antiquiſſimo tempore, ac pæne ſub urbis ipſius incunabula extructus, quem incrementa idemtidem ac ornamenta accepiſſe, ut fit, nullus dubito. Hunc certe Nero Imperator ludis editis ac in ſingulos annos inſtitutis nobilitavit.

Quemadmodum enim Juliæ Genti Bovillis quotannis Circenſes habebantur, ita Antii Claudiæ ac Domitiæ. Ceterum, Claudium quoque ab eodem Senatu impetraſſe annuos ludos Circenſes patris natali die edendos, auctor eſt Suetonius 14. in Claudio; ait enim: *14. Cap. 11.* *Aviæ Liviæ divinos honores & Circenſi pompa currum elephantorum Auguſtæo ſimilem decernendum curavit, parentibus inferias publicas, & hoc amplius, patri Circenſes annuos natali die, matri carpentum, quo per Circum duceretur, & cognomen Auguſtæ, ab avia recuſatum.* His exemplis igitur adductus Nero annuos Circenſes Antii natali die ſive Poppeæ filiæ ſive ſuo, quod veriſimilius eſt, celebrandos inſtituit. natalis 15. autem Neronis dies *15. Triſtan. t. 1. in numm. Neron. p. 203.* pridie Idus Octobres fuit. Ut vero quanta poterant celebritate ac pompa ederentur hi ludi, prope Circum aut Neronianas ædes Antii fuit ſacellum, in quo omnium procerum Gentis Claudiæ & Domitiæ imagines aſſervabantur, quod hujuſmodi ſacellum 16. ubi *16. Tacit. l. 15. & 16.* Gentis Juliæ imagines erant, Bovillis fuit. Bovillanum

autem ludicrum & inſtitutum exemplar fuit ludicri quod Nero Antii inſtituerat, ut ſæpius jam repetitum eſt. In Circenſibus enim ſolemnioribus, quales plane fuerunt quos Nero Antii conſtituit, deferebantur ſolemni pompa imagines majorum Gentis illius cui ludi fiebant. quippe priuſquam ludorum inirentur certamina, viri penes quos ſumma erat poteſtas, pompam Diis & Heroibus Claudiæ Domitiæque Gentis a templis & ſacrario Gentis ejuſdem per forum in Circum deducere omnino debebant. In hac pompa præibant liberi Romanorum & Antiatum pubertati proximi, quique jam per ætatem intereſſe poterant; equis autem vehebantur ii quorum pater in equitum cenſu erat. ceteri pedites incedebant. Hos ſequebantur quadrigarii, bigarii, & injugum equorum agitatores, poſt quos athletæ graviorum leviorumque certaminum, campeſtribus tantum ſubligaribus tecti, nudi cetera. Athletas ſequebantur ſaltatorum chori in tres turmas diſtincti. prima virorum erat, altera impuberum, tertia feminis conſtabat aliquando, ſæpius tamen pueris. pone ſequebantur tibicines inflantes tibias breves, & cithariſtæ pulſantes eburneas ſeptem fidium lyras. Saltatores autem incedebant, ſive ſaltabant, puniceis tunicis induti, quas baltheus æreus obibat, ex quo gladius dependebat: geſtabantque breviores lanceas. viri autem quorum robuſtiores vires, etiam æreas galeas inſignes criſtis & pinnis. Choros ſingulos vir præcedebat, qui ceteris antejens ſaltationis compoſitos incompoſitoſque motus chorum ſuum docebat, quos daret, bellicos potiſſimum ac concitatos inſtar armatæ ſaltationis quam Græci *Pyrrhichen* vocant. Poſt armatos choros incedebant chori Satyriſtarum, e quibus qui Silenos repræſentabant, amicti erant tunicis villoſis,

losis, quas appellabant *scorteas*, amiculisque ex omni florum varietate contextis. Qui vero Satyrorum speciem induerant, hircinis se pellibus præcingebant, horrentibusque setis caput protegebant, quo habitu nativam Satyrorum feritatem referrent. Hi autem serios aliorum saltatorum motus ridicula imitatione ad cachinnos excitandos conabantur exprimere. Satyros excipiebat agmen aliud citharistarum ac tibicinum, quibus adjungebantur alii aureas argenteasque acerras deferentes tum sacras tum profanas ac publicas. Extremum pompæ agmen claudebant Deorum, Heroum, Consulum, ac Imperatorum, illustrium quoque mulierum Gentis illius cui ludi dedicati sive consecrati erant, vel in cujus honorem, cujusve expensis ac institutione fiebant, imagines; quarum partem viri portabant, partem vero, Deorum præcipue in quorum peculiari fide ac tutela esset Colonia sive Gens, thensis, nempe vehiculis sacris, ducebant. Imaginibus permixti incedebant Flamines, Augures, ac reliqui sacerdotes & sacrificuli, & Augustalium collegia, qui omnes pompam comitabantur, palmatisque togis induti & incincti tempora ramis thensas deducebant. Inter hos tandem medii ducebantur equi Solis sive Soli sacri. quæ 17. omnia fuse a multis scriptoribus tradita sunt. Inter Domitiæ Claudiæque Gentis imagines deferebant proceres Coloniæ Antiatis imaginem Appii Claudii Censoris, qui Circum Antii restituerat. imagines quoque utriusque Poppeæ, uxoris scilicet Neronis ac filiæ; ipsiusque Neronis equestris statua deferebatur candenti ex ebore, ut facile ex Suetonio & Tacito colligi potest. Si quis autem inter Deorum imagines quæ thensis vehebantur, simulacra quoque Neptuni, Fortunarum, Æsculapii, Apollinis, Martis, Herculis, ac Ve-

17. *Dionys. l. 7. Rosin. Antiq. lib. 5. c. 4. & 5. Bulenger. de Circ. c. 38.*

neris, quorum templa Antii magnifice extructa erant, delata esse dicat, is fortasse a vero quam minimum aberrabit. Cereris autem, & Bacchi, Pollucis & Castoris imagines ab Antiati Circensium pompa minime absfuerunt, cum nusquam sine istis Circensis pompa deduceretur. Pompa vero in Circum deducta, ova Castoribus, delphinas Neptuno Haruspices consecrabant; & ante columnas quas *Sessias*, *Messias*, ac *Tutilinas* appellabant, tres aras tribus Diis Magnis præparabant, in quibus Flamines ac sacerdotes sacrificabant. tum ceteris omnibus considentibus in sedilibus quæ Circum obibant, unoquoque juxta censum & dignitatem, athletæ tantum, pugiles, agitatores, & gladiatores stabant in medio Circo. Interea Haruspex hostiarum exta inspiciebat; designator loca ludis decernebat; ac tandem mappa signum edebatur quo ludi inciperent. Mappa autem dari signum cœptum est ab Nerone, qui, cum populum desiderio Circensium in Circo jamdiu congregatum tumultuari accepisset, mappam qua manus laverat, e fenestra demisit in Circum, quo signum populo daret ut ludos 18. inciperet. quod exemplum ceteri Imperatores ac magistratus omnes tum Romæ tum in Coloniis passim imitati sunt. Prima pugna exercebatur pugnis, cæstibus, fustibus, gladiis & hastis, pilis ac similibus armis, quibus pugiles & milites decertabant. Gladiatorum altera sequebatur, quorum nomina & certamina varia erant, & a pluribus descripta, quæ ideo ne longum faciam, omitto. hi vero pugnam miscebant aliquando quidem ad captandam gloriam sponte sua, aliquando vero capite hac conditione damnati, ut tunc tantummodo evaderent, si adversarium ipsi interfecissent. Ad bestias etiam sæpe damnati, cum illis congrediebantur eas interfecturi,

18. *Sueton. in Neron. Tacit. l. 15.*

ri,

ri, vel ab ipſis interficiendi. Tertia pugnæ ſpecies erat curſus; currebant enim certum ſtadium, uſquedum pervenirent ad poſitam metam. Quarta erat ſaltatio in æquo campo, vel ſurſum deorſum, vel deorſum ſurſum. aliquando etiam in equos curruſque prætercurrentes inſiliebant non tantum nudi, ſed etiam armati & cataphracti. Quinta jactus diſcorum, & ſagittarum, ejaculatio pilorum, telorum, omniumque armorum quæ longe projiciuntur. Sexta erat equeſtris: & ultima aurigatio, ideſt certamen bigarum & quadrigarum. Factiones autem aurigarum quatuor erant, nempe Veneta, Praſina, Albata, & Ruſſata, quæ a coloribus cæruleo, viridi, albo, ac coccineo nomen acceperant. Principio quidem Albata tantum fuit & Ruſſata juxta Tertulliani ſententiam, albi nempe coloris & rufi, quorum primus Hyemi, ſecundus Æſtati voti erant: in poſterum tamen album Zephyris, rubrum Marti conſecrarunt, addideruntque Praſinum Terræ Matri, vel Autumno, Venetumque Aeri dedicatum. Confectis certaminibus, victorum quiſque coronabatur præcone nomen cujuſque, patriam, factionem & artem populo denuntiante; populuſque Imperatori ejuſque Genti clamore in Circo ſublato plaudebant. Hæc enim vero Circenſium ſumma erat, de quibus fuſe egerunt ac pro dignitate quamplurimi. 19. *19. Vid. Bulengerum.*

Hi ludi itaque quotannis ab Nerone Antii editi, inſtitutumque ab ipſo ex Senatuſconſulto ut perpetuo ſingulis annis celebrarentur. quod præter ſcriptorum allata jam teſtimonia confirmatur etiam ex eo, quod Nero in hoc Circo Antiati frequenter gladiatorum munera exhibebat. nam præter illos qui inter Decuriones adlecti erant, vel magiſtratus inibant, ſolebantque

que ludos edere, ut plurima docent exempla, inter quæ 20. vetus inſcriptio:

20. Ap. Ald. Man. in Orthographiæ ratione pag. 702.

L. FADIO. PIERO. II. VIRO
MVNIFICENTISSIMO. CIVI
QVI. OB. HONOREM. DECVR
EODEM. ANNO. QVO. FACTVS. EST
GLAD. PARIA. XXX. ET. VENATION
BESTIAR. AFRICANAR. ET. POST
PAVCOS. MENSES. DVVMVIRAT
SVO. ACCEPTIS. A. REPVB. H-S. XMX. N. VENAT
PLENAS. ET. GLADIATORVM. PARIA. XX
EDIDIT. ITEM. POST. ANNVM. LVDOS
SCAENICOR. P. S. F. AGI
L. D. D. D.

liberti ejuſdem Neronis, vel Ædiles facti ab ipſo Imperatore ut ludorum ſumptibus ſatis eſſent, vel patroni ſui aſſentatores facti gladiatoria ſpectacula Antii edebant; quos inter Plinius recenſet ditiſſimum 21. libertum, qui edito munere gladiatorio Antii, imagines omnium gladiatorum eorumque conatus in porticibus ornatiſſimis pictura exprimi juſſerat. Ab hoc eodem liberto credibile eſt in his porticibus poſitam fuiſſe ſtatuam eximiam gladiatoris, Antii paulo ante noſtram ætatem effoſſam; quæ nunc inter alias elegantiſſimi operis Burgheſiam Villam ſuburbanam in colle Pincio exornat; quod Ligorius putavit. Quamvis enim Plinius ſolam picturam commemoret, qua gladiatorum imagines liberti Neroniani juſſu expreſſæ fuerant, gladiatori tamen alicui ob inſignem relatam victoriam inter reliquorum pictas imagines ſtatuam poſitam, non abnuerim; cum præcipue

21. Vid. ſup.

cipue effossa gladiatoris statua omnes in dimicando conatus ad vivum admodum repræsentet, utpote quæ mira sit arte elaborata. Fingebat autem hanc statuam Agathias Græcus, ut ex Græca inscriptione patet, Græcorum in sculpendo artis apprime peritus. Ceterum libertus ille, ut ceteri ludorum Ædiles, Antii, quo die Circenses edebat, per Circum triumphali, nempe purpurea, veste indutus, virgamque manu tenens, & coronam in capite gestans, in Circum curru vectus est. hæc siquidem ludorum Ædilibus quamquam libertis ab Imperatoribus permissa sunt, ut auctor est Tacitus, & alii. 22.

Ex quibus constat, porticus de quibus loquitur Plinius, easdem fuisse quæ erant in hoc Circo; idque locus Plinii jam adductus confirmat, & mos hujusmodi Circos construendi, si præsertim insignes essent, qualem fuisse Antiatem, in quo Circenses ab Nerone instituti edebantur, ambigendum minime est. Quatuor enim erant in Circis erectæ porticus, in quarum tribus exedræ spatiosæ, sive areæ cum sedilibus constituebantur, in quibus Philosophi, Rhetores, & reliqui omnes qui bonis artibus operam dabant, sedentes disputarent. In quarta vero thermæ constructæ erant, ut & gladiatoribus & populo quandoque gratis lavatio permitteretur. Immo extra Circum dispositæ erant tres aliæ porticus, una ex peristylio exeuntibus, duæ dextra lævaque stadiatæ, ex quibus ea quæ ad Septemtriones vergebat amplissimæ latitudinis erat, eaque arte fabricata, ut eo spatio quod circa parietes erat, columnas haberet & margines ita dispositas, ut qui vestiti ambularent in margine Circi non impedirentur a se exercentibus. atque in hac porticu per hibernum tempus in tectis stadiis exercebantur. In

22. Tacit. lib. 1. Dio l. 55. Xiphilin. in Commodo.

medio autem ſtadium fuit ita directum, ut hominum paria athletas certantes ſpectare poſſent, ut ex 23. Vitruvio fuſe Mercurialis deſcripſit. Propterea in Circo in publico loco ungebantur, 24. fricabantur, luctabantur, diſcum jactabant, nudati dimicabant, diſputabant etiam & colloquebantur. In his itaque porticibus poſitæ erant ſtatuæ illuſtrium virorum ac Imperatorum, quod hæc loca totius Coloniæ frequentiſſima, ac omnium maxime in conſpectu hominum erant. Cum autem in his porticibus in Circo poſitis, vel in aliis celebri loco per urbem, in quibus imagines & ſtatuæ Imperatorum collocatæ erant, & conſecratæ, hiſtrionum quoque, pantomimorum, gladiatorum, vel agitatorum imagines & ſtatuas ex abuſu Coloniarum magiſtratus vel ludorum Ædiles ponere conſuevillent, Arcadius 25. & Honorius Cæſar id fieri in poſterum lege caverunt, aditu Circi vel theatri proſcenio tantum hujuſmodi ſtatuis ac imaginibus ad collocandum permiſſo. Hic autem locus congruit Neroniani liberti picturis & ſtatuis; in quo Antii reperta eſt inſcriptio M. Aquilii Patroni & Defenſoris Antiatum. In hoc quippe loco prope mare adhuc inter ruinas conſpicitur ſubterraneæ porticus ſtructura inſtar amphitheatri productæ, in cujus ruderibus viſuntur ſtylobatæ, capitella ordinis Corinthiaci eleganter elaborata, epiſtylia, aliaque columnarum fragmenta 26. indicantia, ibidem Circum & porticus publicas extitiſſe.

23 *Vitruv. l. 5. c. 11.*

24. *Mercurial. de Art. Gymnaſtic. l. 1. c. 5. & 6.*

25. *Leg. Si qua Cod. de Spectac. l. XI.*

26. *Turr. de Monum. Vet. Ant. c. 11.*

In hoc quoque Circo Juvenales ludi exhibiti ſunt, quorum primus auctor Nero fuit. Ille enim Juvenalia primus inſtituit, cum primum barbam deponeret, cujus pilos in circulum, vel pyxidem auream pretioſiſſimis margaritis ornatam conjectos Jovi Capitolino conſecravit,

vit, ut memoriæ prodiderunt Dio, Tacitus, & Suetonius. Et quamvis Romæ primum Juvenalia Nero ediderit, Colonias tamen fere omnes eadem in ejus gratiam exhibuisse constat; quod 27. Gordianus in suo Consulatu imitatus est, siquidem Juvenalia per quatriduum in omnibus prope Latii, Campaniæ, Etruriæ, Umbriæ & Piceni Coloniis edidit. Quæ Antii exhibita in Neronis gratiam, ipsum Neronis natale solum multo magis persuadet. In his autem ludis eadem ferme quæ in descriptis Circensibus fiebant, ut auctor est Dio; 28. qui refert, Domitianum in Amphitheatro Albano jussisse, Glabrionem Anicium virum consularem in arenam descendere, & cum immani leone pugnare; pluraque gladiatorum paria ibidem eumdem Domitianum exhibuisse; unde constat, Juvenalibus ludis eadem ferme quæ Circensibus spectacula edita, iisque ludis non solum servos, sed etiam equites Romanos & Decuriones Coloniarum, quin etiam Romanos 29. senatores sponte sua aliquando, sæpius Imperatorum tyrannide adactos, gladiatoriam exercuisse. Certe ad bestias damnatos sæpissime in Circo fortissimos Christi athletas, nemo est qui ignoret, licet nobilissimi quandoque essent. Sub Nerone etiam & Domitiano ipsæ feminæ armatæ in arenam descendere visæ. quod inter ceteros scriptores Statius commemorat: 30.

27. *Capitolin. in Gordiano.*

28. *Lib. 67.*

29. *Sueton. in Neron. Tacit. l. XI.*

30. *Sylv. l. 1. carm. 6.*

Hos inter fremitus novosque lusus
Stat sexus rudis insciusque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles.
Credas ad Tanaim ferumque Phasim
Thermodontiacas calere turmas.

Severus tamen Imperator Senatusconsulto cavit, ne in posterum feminæ in arenam certaturæ descenderent.

Ceterum, tum Circenses tum alios ludos sæpius Antii exhibitos a Neronis in imperio successoribus, constat ex pluribus inscriptis lapidibus Antii effossis, quorum inscriptiones affert Ligorius. Prima autem hæc habet:

APOLLINI INVICTO
SACRVM
M. AVRELIVS M. AVG: LIB: APOLLONIVS
AGONISTARCHA COMMODIANVS

31. *Gymnastic. cap. 12.* Hanc inscriptionem affert etiam 31. Mercurialis, qui hunc Commodi libertum iccirco *Agonistarcham* appellatum putat, quod certaminum publicorum præfectus esset; quod sonat Græcum vocabulum. quandoquidem gladiatores erant nunc servi, nunc ingenui & liberi homines, qui dominis corpora animosque devoti, se ludo gladiatorio adjiciebant hac lege, ut urerentur, virgis cæderentur, ferro etiam necarentur, prout dominorum lubido esset. hi autem si quando libertate donarentur, rudem simul accipiebant & pileum; nec eos ferro amplius, sed rudibus tantum ludere oportebat; *Rudiarii* exinde appellati. quo etiam certaminis genere defuncti, rudem ad postem Herculis, cujus se virtutem æmulatos jactarent, figebant. de quorum uno sic Horatius: 32.

32. *Epist. 1. lib. 1.*

Vejanius armis
Herculis ad postem fixis latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret arena.

Erant lanistæ, quorum munus tirones gladiatores edocere; iis autem non infimus fuit in arena locus. E gladiatoribus autem alebantur alii apud privatos, alii de publico; & hi in publicis ædibus habitabant, quas gladiatorium gymnasium, vel Palatium Dearum

Ne-

Nemesium appellabant. 33. His ædibus præerat certaminum præses, privilegiisque bene multis gaudebant: in iisque de publico pariter alebantur conducti Theologi, Medici, magistri, & hymnorum cantores, ceterique quorum usus publicis illis gladiatoribus esset. Harum ædium præses idem erat atque Agonistarcha, de quo meminit allata inscriptio, quem etiam in Amphitheatro & Circo gladiatoribus & universo ministerio præfuisse constat. Huic parebat Gymnasiarcha, cui gymnasii solius cura demandata erat; Xystarcha, qui utrique xysto, stadio, cunctisque athletarum exercitationibus præerat; Gymnastes, qui, instar Medici, ea quæ robori parando, ac valetudini tuendæ vel reparandæ præsto essent, præcipiebat; Pædotriba, qui panes, opsonium, ceteraque alimenta parabat, curabatque ne cibus gladiatorum vires infringeret; Sphæristicus, qui pila ludentes ad omnem ejusdem jactum informabat; servi fricandis corporibus destinati, qui, præcipiente Gymnaste, modo nudis manibus, modo unctis, nunc molli linteo, nunc aspero multimode gladiatorum corpora ad vires confirmandas caloremque ciendum confricabant; Reunctores, qui corpora jam exercitata ungerent reungerentve; mediastini, Polycrepali, Alipili, Medici & Chirurgi, quorum omnium distincta ac peculiaria munia explicat Mercurialis, & omnium doctissime Laurentius Pignorius Patavinus in erudito Commentario de Servis. Theologi autem respicientia Numinum cultum curabant; hymnorum vero cantores in sacro certamine hymnos in honorem Deorum canentes pompam antecedebant. His omnibus itaque præerat Agonistarcha, qui tamen 34. ludi publici Curatori parebat. Ludi publici vero Curator eximiæ fuit dignitatis, eique locus inter insulas datus.

33. Prudēt. lib. 2. contra Symmac. Tomasin. de Donariis c. 38. Cic. l. 3. de Orator. & in Anton. Sueton. in Aug. c. 42.

34. Tacit. lib. 11. Sueton. in Caligul. cap. 27. &c.

Ceterum in Coloniis ubi erat hoc gymnasium, apud illud Herculis ædes & sacerdotes extitere; ubi vero publica domus gladiatorum non erat, in ipso 35. Circo Herculis templum construebatur; erat enim Hercules gladiatorum Numen; proinde nec Circus sine æde Herculis, nec gladiatorum publica domus absque ejusdem templo excitari consuevit.

35. *Vitruv. de Architect. lib.* 1.

Ex his reliquos inscriptos lapides quos Antii effossos affert Ligorius, facile interpretabimur. Horum alter indicabat, Antorem athletam illustrem sub Marco Aurelio Commodo, Antii, in qua urbe variis ludorum certaminibus suam agilitatem ostenderat, sepultum esse: alter testabatur, Myrtilum libertum ejusdem Commodi Pantomimum insignem, Antii fundum & rus habuisse, atque ibidem in eodem fundo tumulatum. Alius etiam lapis sic habet:

DIS MANIB.
L. AVRELIO L. L. HARPALO
MAXIMO PANTOMIMO COMMODIANO
H. S. E. CHRISANTHVS LIBERT:
AMICO

Alius tandem sic:

APOLLINI INVICTO
SACRVM
T. CLAVDIVS AVG: LIBERTVS
ARCHIGENES MVSICVS
DED: IIII NONAS IVNII Q. VOLVSIO
ET T. CAEPHIONE COS.

His omnibus inscriptionibus Antiatum ludorum magnificentia, eorumque Ædilium munificentia plane constat.

ſtat. Sane M. Aurelium Commodum Antium ventitaſſe, Coloniamque abs ejus nomine Commodianam aliquamdiu vocitatam 36. ſupra docui. Dum itaque Commodus Antii Agoniſtarcham Circi gladiatorumque gymnaſii libertum ſuum conſtituerat, ibidemque manebant Antor illuſtris athleta, & Harpalus Maximus Pantomimus, ambo Commodiani liberti, plane conſtat, gladiatorum gymnaſium Antii extitiſſe, omnique de more miniſterio ſervorum inſtructum.

36. *Cap. 2.*

Ceterum, ne quis ambigat, utrum vere inſcriptio Harpali Pantomimi, & altera Archigenis Muſici Neroniani congruat ludis Circenſibus a Nerone & Commodo Antii editis, ſubdo, memoriæ proditum eſſe, Muſicos & Pantomimos Circenſibus ludis interfuiſſe. Muſici namque vel in Circenſi pompa incedebant inter illos quos appellabant hymnorum cantores, vel decertabant, teſtimonio Dionis, qui Auguſtum edidiſſe in Circenſibus quovis quinquennio certamen muſicum & gymnicum prodidit. quamquam Suetonius hujus certaminis inſtitutorem Neronem appellet. in eo autem certamine Græco more in Circenſibus trifariam decertatum ſcribit, a Muſicis nempe, athletis, & equitibus. Certe hos ludos Agones Neronianos multi ſcriptores appellant, in quibus tamen Muſici non armis, ſed arte pugnabant; quiſque enim vincere contendebat reliquos ſuavius canendo; adeoque pugnare dicebantur. qua pariter pugna certaſſe Poetas & Oratores Quinquatribus in Albano 37. a Domitiano in Minervæ honorem inſtitutis, legitur apud Dionem. Si itaque Nero hos muſicos agones in Circenſibus exhibuit, immo primus inſtituit, veriſimile eſt, eos etiam Antii edidiſſe; iccirco Archigenes ejus libertus Muſicus, Antii Apollini, cui templum ſumptuoſiſſimum

37. *Dio lib. 66.*

An-

Antiates erexerant, dedicavit ſtatuam, quod Muſicorum Numen eſſet Apollo, quem ideo Veſtales virgines in hymnis Muſicum appellabant. Pantomimi vero licet inter ſcenicos computarentur, tamen etiam in Circenſibus ludere conſueverant, teſte Suetonio; exprimebant autem ſæpenumero tacita geſticulatione muſicas notas, ſive geſtum quem Muſici canendo exhiberent; eorumque ars pars erat Muſicæ diſciplinæ muta, quæ appoſita geſticulatione faciebat ut optime intelligeretur, quod vix lingua narrante tam perfecte potuiſſet agnoſci; quod ajebat 38. Caſſiodorus. Quemadmodum autem in Circenſi pompa ſaltatores & geſticulatores, iique qui Pyrrhicha ſaltatione exercebantur, inter fiſtulas incedebant; iiſque adeo perdite Nero delectabatur, ut eoſdem civitate donaret; ita Pantomimi, qui 39. hiſtrioniam agebant, inter geſticulatores mixti erant, & non raro in ipſo Circo luſerunt; 40. quod ex Ammiano Marcellino licet colligere, qui de Sabiniano loquens, *Militari*, inquit, *Pyrrhichio, ſonantibus modulis, pro hiſtrionicis geſtibus, in ſilentio ſummo delectabatur*. quod & ex quodam 41. Ulpiani loco confirmari poteſt, quem in margine innuo, ut illum per ſe quiſque poſſit adire.

38. *Caſſiodor. l. 4. ep. ult.*

39. *Sueton. in Nerone.*

40. *Hiſtoriar. l. 18.*

41. *In l.* aut damnum *ff. de pœnis.*

Circenſes quoque exhibitos quotannis in hac Colonia die Auguſti natali, ex Tacito comperimus; ait 42. ſiquidem, Auguſtales ludos paſſim in Coloniis editos; quod & Dio 43. confirmat, narrans, ex Senatuſconſulto Romæ Circenſes perpetuo inſtitutos die natalis Auguſti, qui vigeſimus ſecundus Septembris fuit, idque paſſim factitatum in Coloniis Auguſto devotis, qualis cum paucis Antii erat Colonia, ob illa omnia quæ ante commemoravi ab Auguſto ſibi collata beneficia.

42. *Lib. 1. Annal.*

43. *Lib. 55. 56. 57. 58.*

Apollinares quoque ludi Antii editi ſunt, quod probant

bant adductæ inſcriptiones Apollini ſacræ, quas certe Muſici & Pantomimi ob relatam in ſuis certaminibus victoriam Apollini dedicarunt. Eam autem Apollinaribus ludis maxime retuliſſe putandum eſt. Erat enim, quod ſupra commemoravi, Antii templum Apollinis, quem Antiates inſigni religione colebant, ſtatoque die quotannis celebrabant feſtum in ejus honorem, in quo ludi fiebant ſolemnes; in his enim ferme antiqui feſtorum celebritatem conſtituebant. In his ludis Apollinaribus etiam mixtos Circenſes notavit Dio 44. Mactabant autem his ludis Apollini bovem auratum, & capras duas albas auratas. Eodem quoque die habebantur ludi Scenici, in quibus hiſtriones & Pantomimi ludebant, & præſertim Paraſiti Apollinis, ita appellati, quod ridiculi eſſent, & ad tibicinem ſaltarent, & in publico convivio canerent; quod multi notarunt, & explicat vetus inſcriptio Bovillana apud Gruterum: 45.

44. *Dio pag. 253. & Liv. l. 25.*

45. *Pag. 1089.*

AGILIO PANTOMIMO SACERDOTI
SYNODI APOLLINIS PARASITO

Sub Nerone vero etiam feminæ, Spartanarum inſtar, quamquam nobiles, tamen pretio conductæ in ſcenam 46. prodire non erubuerunt; eoque die populus in honorem Apollinis laureatus ſpectabat.

46. *Sueton. in Nerone.*

Scenicis proinde his ludis exhibendis theatrum Antii certe fuit, quamvis nullum ejuſdem monumentum ad nos pervenerit. Sane in Latio cunctiſque fere Italiæ urbibus ludi Scenici frequenter edebantur, ex quibus actores in minoribus prius theatris exerciti, Romanas poſtea aures implebant. 47. Perſuaſum ſiquidem habebant profani illi, theatralibus hiſce ludis Deos 48. ſuos magnopere delectari, & voluptate delinitos conceptam iram

47. *Macrob. Saturn. l. 2. c. 7. Sueton. in Aug. c. 43.*

48. *Arnob. l. 7. contr. Gent.*

iram ſedare, ultionemque in homines meditatam relinquere. Quin immo horum ludorum exordia referebant antiqui ad Oſcos & Atellanos Volſcæ gentis, adeoque Antiatibus proximos, qui narratiunculis dicteriiſque jocularibus refertas Atellanas 49. fabulas invenerunt, Satyricis Græcis fabulis non abſimiles. quod fabularum genus quamquam maxime jocoſum Italica tamen ſeveritate temperatum, diu nota caruit, donec in externos, Græcos maxime & Aſianos, mores degenerantibus Romanis, ſine fine prurientes & petulcæ hujuſmodi fabulæ 50. factæ ſunt.

49. Dionyſ. l. 1. Donat. in 6. Æneid.

50. Val. Max. l. 2.

Dicendum nunc reſtat de iis ludis quos Antii editos Cicero ad Atticum ſcribens commemorat. Is enim libri octavi ad Atticum epiſtola octava & decima, Antii anniverſarios ludos edi conſueviſſe ſcribit a IV. ad pridie Nonas Maji. Sunt qui putant, hos fuiſſe 51. ludos Neptunales, in quibus pugnabant inter ſe naves, omneſque ludos navales oſtendebant in mari, & varia ſpectacula edebantur, additis, ut fere ſemper, Circenſibus. Ducuntur autem ut hoc putent ex eo, quod Antii Neptuni celeberrimum templum fuit, ſub cujus tutela Colonia erat, in cujus templi veſtigiis ac ruinis Neptunium recens oppidum ædificatum multi commemorant. Verum Neptunalia juxta Kalendarium antiquum incidebant in decimum Kalendas Quintiles. quod ſatis aperte hujuſmodi ſcriptorum opinionem omnino improbat. Alii itaque ludos Antii editos a Cicerone commemoratos, Florales fuiſſe dixerunt, quos in honorem Floræ tribus diebus ac noctibus celebrabant. quamvis enim in veteri Kalendario Floralia menſe Aprili celebrari notetur, Ovidius 52. tamen ea in Majum exinde translata tradidit, his verſibus;

51. Tertull. de Spectac. c. 7. Auſon. in Eclog. de fer. &c.

52. L. 5. Faſtor.

Ma-

Mater ades florum ludis celebranda jocosis:
Distuleram partes mense priore tuas.
Incipis Aprili, transis in tempora Maji:
Alter te fugiens; cum venit, alter habet.

Sed, ut neque Florales fuisse hos ludos putem, illud facit, quod Cicero eos deliciosissimos appellaverit, conquestusque sit alio impeditum, se iis interesse non potuisse; non enim adduci possum ut affirmem, Ciceronem, in quo nil umquam nisi sobrium ac moderatum, Attico viro ipsi quoque egregiæ virtutis scribentem, turpissimos ludos, quales erant Florales, deliciosissimos appellasse, seque eorum visendorum percupidum ostendisse. De Parentalibus illum proinde locutum nonnulli asserunt, quæ & Lemuria dicta sunt. Ea siquidem in Kalendario ad nonam diem Maji notabantur. Hi autem ludi per triduum ipsi quoque fiebant, quibus, re divina facta, placabant Lemures, idest larvas nocturnas, & terriculamenta umbrarum, imaginesque Manium nocturnas, & bestiarum; & in sacris fabas jactabant noctu, credentes, ita se Lemures domo extra januam expellere; ut late explicat Porphyrion Horatii 53. interpres. At hæc præterquam 53. Ep. 2. l. 2. quod diverso tempore celebrabantur, una etiam tantum nocte quæ inter biduum erat conficiebantur; quod triduo a Cicerone commemorato minime congruit. Alii demum hos fuisse ludos in honorem Martis ac Veneris editos, scribunt, quorum sententia non displicet; quamquam non diffitear, solido eam fundamento me confirmare minime posse. His tamen de causis a vero quam minimum eam abhorrere quis dixerit. Sane Antii Martis templum ac Veneris fuisse, in loco fuse descripsi, Antiumque Aphrodisium aliquando a Venere Aphrodite nuncupatum, ex Plinio

T tra-

tradidi. Constat quoque, duodecima Maji ludos quotannis Romæ in Circo Marti editos, ut notatur 54. in Kalendario. Licet autem his quoque ludis dies a Cicerone commemoratus non congruat, tamen cum nil aliud præter istud paucorum dierum discrimen impediat, quominus hi a Cicerone commemorati esse dicantur, facile est dicere, in Coloniis vel antepositos vel postpositos fuisse diebus aliquot ludos ceteroquin celeberrimos, ne cum Romanis inciderent; scilicet ut tam colonis, quam Romanis ipsis utrosque visendi, tum qui Romæ fierent, tum qui in Coloniis, per tempus copia fieret. Certe apud Livium 55. sæpe legitur, & passim apud alios, ingentem populi concursum Romam factum ad solemniores ludos visendos, Romanosque quamplurimos in Colonias, ut quæque Urbi proxima esset, eadem de causa frequenter excurrisse. Ceterum hi ludi forte celebrati sunt eo die quo primum Ascanius vel urbem fundavit, vel eo Coloniam deduxit, & Veneri Genitrici dedicavit; juxta Latinorum morem conditarum urbium natalem diem quotannis perpetuo celebrandi. Certe Ligorius aperte scripsit, Antii ludos Aphrodisios in honorem Veneris Aphrodisiæ editos esse; Martem autem una cum Venere in pluribus Coloniis coli consuevisse, supra exposui; ubi etiam ex Claudiano eosdem uno templo coli solitos commemoravi. Antiates itaque juxta hanc sententiam conditæ suæ urbis templique Veneri dedicati natalem diem recolentes & in Circo magna pompa, & in theatro, quod sub tutela Veneris erat, ludos quotannis exhibebant; quos Cicero deliciosissimos appellat. Quæ omnia vestigando potius veritatem, quam aliquid statuendo, exposuerim. Jam vero dicendum restat aliquid de pompa ac ludi specie quem

An-

54. *Ap. Rosin. l. 4. Antiq. c. 9.*

55. *Lib. 21. & alibi.*

Antii edidit Nero dum e Græcia rediret. Ait enim 56. Suetonius, Neronem e Græcia revertentem Neapolim primum, inde Antium & Albam, postremo Romam ingressum esse eadem pompa qua victores in ludis Olympicis patriam primum post victoriam ingrediebantur. Ille quippe mos Græcis fuit, ut eum qui in aliquo ex quatuor sacris certaminibus victor fuisset, summis honoribus cumulatum in patriam dimitterent. Hujusmodi namque victoribus in Circo & theatro 57. prima ad spectandum sedes tributa, positæque sunt statuæ in perennem ipsorum memoriam, quæ in Deorum templis simul cum pretiosis donariis recondebantur. His etiam frequentissimo theatro populus acclamabat, victriciaque carmina inter victrices cœnas accinebat. In urbem deinde patriam triumphantium ritu deducebantur; curru enim invehebantur, ac palmam dextera tenentes, histrionum, mimorum, agitatorum, pantomimorum, & parasitorum, populique turba præcedente, super disjecta mœnia, inter lucentes tædas & coruscantes faces, tibicine comitante, & præcone præeunte. Statuis autem subscribebatur victoris nomen, genus, patria, certamen, & reliqua quæ ad ejus memoriam posteris commendandam præsto essent. Donabatur insuper victor egregie elaboratis pateris, aut tripode, si præsertim Apollinaribus ludis decertasset; quod innuit Horatius ad Censorinum: 58.

56. In Nerone, c.25.

57. Pausan. l.2. Plin. l.34.c.4. Philostrat. in Apollon. l.5. c.3. Ælian. l.12. Variæ Hist. Vitruv. in præfat. l.9. & alii.

58. Lib. 4. Od. 8.

Donarem pateras, grataque commodus,
Censorine, meis æra sodalibus;
Donarem tripodas præmia fortium
Grajorum; neque tu pessima munerum
Ferres; divite me scilicet artium
Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas:

T 2 *Hic*

Hic ſaxo, liquidis ille coloribus
Solers nunc hominem ponere, nunc Deum.

Hunc morem derivatum commemorant ab Hercule, qui Jolaum equis ejuſdem Herculis victorem in Olympicis ludis primus coronavit. Ductum etiam referunt a Cleoſthene, qui primus equeſtrem ſtatuam Olympiæ poſuit poſt victoriam. Unde etiam *Hieronicas* 59. coronatos vocabant, vel quia hoc Græcum vocabulum ſacrorum certaminum victores innuit, vel quod Hieron abſens ſæpe in Olympicis coronatus eſſet. ex quibus Gruterianas aliquas inſcriptiones facile interpretaberis. Hujuſmodi ſunt:

59. *Plutarch. in Temiſtocle.*

P. AELIVS AVG: LIBERTVS
PYLADES PANTOMIMVS HIERONICA
INSTITVIT

VLPIVS AVGVSTI LIBERTVS
MAXIMVS PANTOMIMORVM
CORONATVS ADVERSVS HISTRIONES OMNES
SCAENICOS ARTIFICES HIERONICA

Item alia apud Suareſium: 60.

60. *De Antiqu. Praeneſt. lib. 1. c. 13.*

M. AVRELIO AVGG: LIBERTO
AGILIO SEPTENTRIONI
PANTOMIMO SVI TEMPORIS PRIMO
HIERONICAE SOLI IN VRBE CORONATO
DIAPANTON AB IMPP. D. D. N. N.
SEVERO ET ANTONINO AVGG:
PARASITO APOLLINIS ARCHIE:
SINODI IIIIII VIRO AVG:
HVIC RESPVBLICA PRAENESTINA
OB INSIGNEM AMOREM EIVS

ER-

ERGA CIVES PATRIAMQVE
POSTVLATV POPVLI STATVAM POSVIT.

Unde hunc Græcorum morem & Romæ & in ceteris Latii urbibus viguiſſe, ſatis conſtat. Quod ſi fides inſcripto lapidi nunc adducto adhibenda, Pylades Cilix Auguſti libertus fuit ille qui Hieronicas Romæ inſtituit. Hic enim tragicam ſaltationem venuſte ſaltavit, nempe tumentem, incitatam, & turbulentam, varios vultus perſonaſque exhibentem; floruitque. *61.* maxime ſub Auguſto, Hylamque diſcipulum, cui Ulpius prænomen fuit, ſaltatoriæ artis præceptis uſque adeo informavit, ut æque ac ipſe Pylades ejuſdem peritus haberetur; quod a multis proditum eſt. Ceterum Dio *62.* hunc Pyladem ob ſeditionem in exilium pulſum ab Auguſto inde revocatum ſcribit; quod etiam refert Suetonius, addens, Auguſtum Urbe & Italia prius hunc ſubmoviſſe, quod ſpectatorem a quo exſibilabatur, digito demonſtraſſet, Hylamque diſcipulum flagellis cecidiſſet. Senecæ *63.* quoque teſtimonio confirmatur, Pyladem hujus artis inſtitutorem primum Romæ chorum & fiſtulam ſibi præcinentem duxiſſe. Imitabatur autem Pylades regias perſonas, plureſque habebat in theatro qui ſaltatorum ac ſervorum perſonas repræſentarent.

61. Macrob. Saturnal. l. 2. c. 7. Plutarch. Sympoſ. 7. c. 8. Senec. lib. 3. Controv.

62. Lib. 54.

63. Lib. 1. Quæſt. natural.

Agilius vero Præneſtinus ſub Severo & Antonino Auguſtis pantomimos omnes vicerat, unde & ſolus coronatus in Urbe fuit, promeruitque ſtatuam de publico, auctuſque eſt dignitate Seviri Auguſtalis, ut indicat lapis adductus, confirmaturque alio lapide apud Ligorium in eamdem ſerme ſententiam:

M. AV-

M. AVREL: AVG: LIBERTO
AGILIO SEPTENTRIONI PANTOMIMO
SVI TEMPORIS PRIMO SACERDOTI
SYNODI APOLLINIS PARASITO ALVMNO
FAVSTINAE AVG: PRODVCTO
AB IMP. M. AVRELIO COMMODO
ANTONINO PIO FELICE AVGVSTO
ORNAMENTIS DECVRIONATVS
DECRETO ORDINIS EXORNATO ET
ALLECTO INTER IVVENES
S. P. Q. LANVINVS.

Alius etiam lapis ſic habet:

SEPTENTRIO PVER
BIDVO SALTAVIT ET PLACVIT.

Nec mirum videbitur, quod corrupto illo ſæculo huic hominum peſti tantum honoris tributum ſit, ut in Coloniis ad primas dignitates per ſummum nefas eveherentur, memoria repetentibus, Romæ eamdem fæcem hominum & inter equites ſæpe allectam, & inter patres recenſitam, & Senatui adhibitam per ſummam impudentiam, immo aliquando & nobiliſſimas feminas illis latus dediſſe; quod ne in poſterum fieret, lege cautum eſt ne 64. domum pantomimorum ſenator ingrederetur. Inter ceteros vero pantomimos Hieronicæ majoribus privilegiis aucti ſunt; illos ſiquidem qui tribus certaminibus ſacris victores fuiſſent ſemel Romæ vel in Græcia, ab omni civili munere ſive onere immunes 65. fecerunt Imperatores aliquando, alebanturque vectigalibus de publico illis conſtitutis, quibus luxuria opibuſque ipſos ſummos ſenatores æquabant. Plinius etiam 66. in epiſtola ad Trajanum ſcri-

64. Tacit. l. 13.

65. Leg. 1. Cod. de Athlet. l. 10.

66. Lib. 10.

ſcripſit, immunitatem eſſe illis concedendam ex quo die coronati eſſent; addens, nil referre, quando ſint in patriam invecti, ſed quando certamine vicerint, ut invehi poſſent. Nero itaque hac pompa, qua victores Hieronicæ, Antium tamquam in patriam curru vectus equis albis, & præcedente hiſtrionum, muſicorum, & 67. pantomimorum turba, ac militum armatorumque, plaudente populo, per partem mœnium conſulto dirutam, capite coronam Olympicam, dextera Pythiam geſtans, invectus eſt, ut tradit Suetonius. Nummus etiam pro hac victoria ac ridiculo triumpho cuſus idem indicat apud 68. Triſtanum, ubi Nero coronam manu tenens, & palmam ſiniſtra geſtans, excuſus cernitur cum titulo: *Imp. Nero Cæſar Aug. P. Max. Euthymius*. Ut nempe oſtenderet ſe inſignem pugilem & athletam ut olim Euthymius fuerat, quem in hac arte cum paucis excelluiſſe memorabant populi Demeſſenenſes, 69. ac publice etiam venerabantur, exiſtimantes, illum non mortuum quidem omnino, ſed alio quodam modo hominem eſſe deſiiſſe. Ut autem conveniat Suetonio narranti, Neronem Romam ingreſſum, capite Olympiam coronam, dextera Pythiam geſtantem, & nummo adducto, eumdem capite coronatum, coronam etiam dextera, & palmam ſiniſtra tenentem referenti, facile dicendum, Suetonium de Nerone Romam invecto locutum, nummum vero Neronem Neapolim atque Antium ingredientem exhibuiſſe. Ceterum, illum inter fiſtularum, tibicinum, & muſicorum canentium plauſus, ac victricia carmina, faculis ac lampadibus coruſcantibus deductum, datamque Antii cœnam publicam, decretas quoque in omnibus Coloniæ templis publicas ſupplicationes, ob tam ridiculam impudentemque victoriam, Græcorum mos & Neronis amentia facile per-

67. *Sueton. in Nerone. c. 25.*

68. *Lib. 1. p. 217.*

69. *Pauſan. l. 6. p. 356.*

persuadent, colligiturque facili negotio ex Suetonio & Philostrato. Antiates etiam illis statuam equestrem, habitum cultumque victoris referentem posuisse crediderim. quæ omnia perditissimus Neronis ardor hujusmodi certaminum exposcebat, ejusdemque summa potentia ab assentatoribus & servis populis exprimebat.

Jam vero hi ludi usque ad Magni Constantini tempora perdurarunt, publicaque auctoritate editi sunt. Pius autem ille Imperator de Gladiatoriis lege 70. cavit, ne usquam in posterum fierent; quam tamen veluti antiquatam, certe passim violatam, Arcadius & Honorius restituerunt severis propositis pœnis cuicumque hujusmodi ludos edere audenti. quod ideo Honorius sanxit, quia Romæ lapidibus populus obruisset Telemachium quemdam pium ac religiosum 71. virum Christi fidelem, qui gladiatores invicem separare conatus erat, populumque tam crudeles ac nefarios ludos spectantem, pietatis in Deum Optimum Maximum, cui profana illa certamina maxime displicerent, studio commotus, increpaverat.

Verum Gothis Italiam vastantibus 72. Theodorico illorum Rege vix Urbem ingresso Quirites Consulesque Coloniarum Circenses passim edi ab illo postulaverunt, impetraruntque. cumque Romæ anniversario gladiatorum spectaculo edito plene populus non satiaretur, Theodoricus iterum Præneste magna pompa ludos gladiatorios edidit. quorum ludorum publica auctoritate editorum ætas ultima illa fuisse videtur. Ludi autem Scenici, quibus mimi, pantomimi, & histriones in theatro exercebantur, eorumdem Arcadii atque 73. Honorii edicto non sublati illi quidem omnino, intra tamen honestatis ac verecundiæ fines tantum haberi permissi sunt, amputatis omnibus quæ corruptelam

70. *Leg. 1. Cod. de Gladiator. l. 11.*

71. *Paul. Diacon. Histor. miscellan. l. 13.*

72. *Cassiodor. l. 6. var. ep. 15.*

73. *Leg. unica Cod. de Majuma. l. 11.*

ptelam morum inveherent. Ceterum neque illorum, neque aliorum Imperatorum, quinimmo Sanctissimorum Pontificum nostrorum leges repetitæ sæpius ac restitutæ ludorum theatralium pestem extinxerunt umquam omnino; quod hominum ad hæc spectanda studium semper tam ardens fuerit, ut omnes semper leges proculcaverit.

C A P U T VII.

De Antiatum familiis Romæ illustribus.



RBIS cujusque amplitudinem non a mutis inanimisque lapidibus in ædes magnificentissimas coaptatis, sed ex magnarum rerum gloria a civibus gestarum argui rectius debere, non immerito existimavit Tullius. id enim demum ad urbis felicitatem conferre mirum in modum videtur, si ex ea quamplurimi prodierint cives qui domi forisque re bene gesta memoriam apud posteros meriti sint sempiternam. tunc siquidem urbem illam diligimus & suspicimus, cum mater virorum illustrium, qui de republica optime meriti sint, extiterit. 1. *Movemur enim nescio quo pacto locis ipsis in quibus eorum quos diligimus aut admiramur, adsunt vestigia.* Cum itaque hucusque Antii publicas privatasque ædes, & quidquid in earum singulis memoria dignum existimavi, descripserim ac memoraverim, ad ipsius urbis recensendas illustres familias accedo. Tres tantum describam; quamvis enim ex hac semper florentissima Colonia quamplurimæ procul dubio prodierint familiæ, Romæ postea illustres, quia tamen nullum apud scriptores, vel inter

1. Cic. l. 2. *de Legib.*

V anti-

antiquitatis rudera illarum veſtigium reperitur, eas ſilentio præterire, quam de illis aliquid incertum omnino ac inſtabile aſſerere, ſatius duxi.

Antii itaque fuit Gens ab ipſa urbe *Gens Antia* dicta. quamvis enim Fulvius Urſinus in deſcriptione cujuſdam nummi Penatibus a C. Antio dedicati hanc Gentem Lanuvio oriundam, quod ibi Penatium ſimulacra ſervarentur, ſuſpicatus fuerit, tamen ipſius Gentis Antiæ nomen, eamdem Antiatis originis fuiſſe plane confirmat. Hic ſiquidem perpetuus fuit mos apud Romanos, ut ſi qua Gens plebeja ſine certo nomine Romam veniſſet, ac deinde rerum geſtarum gloria illuſtris evaſiſſet, eam de patriæ nomine nominarent; quod in Satriena, Norbana, Fundania, Aricina, & Gabinia, aliiſque ſexcentis patet. Maluerunt ſiquidem hæ omnes e patria potius, quam ex alia Gente ſibi nomen, adeoque nobilitatem, adſciſcere. Cujus moris luculentus teſtis eſt Tullius, aliique antiqui ſcriptores auctores ſunt. Nummus autem C. Antii impreſſus apud 2. Urſinum oſtendit duas effigies mulierum, ut conſtat ex ſpecie oris cultuque capitis, in quibus quam minime differunt ab aliis nummis qui Fortunarum ſimulacra exhibent; ut proinde poſſimus merito interpretari, C. Antii nummum geminas Fortunas oſtendere, quas C. Antius inter Penates voluerit recenſere; quod apud illos profanos homines minime novum fuiſſet; ſiquidem 3. Arnobius hoc ab iiſdem factitatum memoriæ prodidit. Ceterum, hunc nummum a C. Antio Antiate, & minime Lanuvino, excuſum, & illud probat, quod in poſtica ejus parte Hercules cum clava exuviiſque leonis indutus deſignatur. Hercules enim magnum Antiatum Numen fuit, Antiique templum auguſtum habuit, ut

2. *Fulv. Urſin. de Famil. & Turr. de Monum. Veter. Ant. c. 1. fol. 6.*

3. *Lib. 3. adverſ. Gent.*

ut ex numiſmate hujus Coloniæ a Goltzio 4. relato conſtat, & ex vetuſto lapide Antii effoſſo cum inſcriptione: 5.

4. Goltz. in Magn. Græc. tab. 17. n. 10. & Turr. ubi ſup.

5. Ap. Fabrett. c. 10. Inſcript. p. 691.

SANCTISSIMO HERCVLI
PACIFICO INVICTO
SACRVM
P. IVNIVS P. F. CERINVS
EQVES SING:
VOTVM SOLVIT LIBENS MERITO.

His accedit villa inſignis quam Gens Antia habuit in finibus agri Antiatis prope paludes Pomptinas, ubi ex Ligorii teſtimonio repertus eſt lapis cum titulo:

TERMINIANVM RVS
- - - - - - - - - - - - - - - - -
ANTIVS TERMINIVS
- - - - - - - - - - - - - - - - -

Denique hujus Gentis nomen non raro *Antias* in veterum monumentis deſcriptum legitur. Poſthabita itaque doctiſſimi ceteroquin Urſini ſententia, cum Spanhemio 6. & Turriano Gentem Antiam Antio merito reſtituimus. Prodierunt autem ex hac Gente inſignes viri, quos inter Valerius Antias primus commemoratur, qui Romanam hiſtoriam ſcripſit, claruitque ætate Rutilii Claudii Quadrigarii, & Pomponii. ab eo plura mutuatus eſt Livius Romanæ hiſtoriæ facile princeps; ejus enim ſæpe utitur teſtimonio. quod & Vellejus Paterculus facit hiſtoriarum Romanarum libro ſecundo. Hunc Gentis Antiatis auctorem ac principem Romæ

6. Spanhem. Diſſert. 6. p. 535. & Turrian. ubi ſup.

fuisse, Turrianus censuit: verum ex Annalibus Tribunorum plebis, auctores hujus Gentis Sp. & C. Antium fratres fuisse constat, qui anno ab U. C. CCCVI. & CCCX. tribunitiam potestatem Romæ 7. adepti sunt. Certe minores Gentis Antiæ non Valerii sed Caji prænomen sæpius sumpserunt, quod minime levi argumento est, Cajum Antium non vero Valerium hujus Gentis auctorem fuisse. mos etenim fuit Romanis ut illius qui Gentem primum rebus gestis illustrem effecisset, nomen in posteros omnes deducerent, non ita quidem, ut nemo posterorum illius Gentis alio prænomine vocaretur, verum ut singulis ætatibus plures ex eadem Gente essent qui nomine auctoris & principis vocarentur. quod tanta religione servabant, ut si quando Gentem illam extingui contingeret, Gens alia hac ferme conditione adoptaretur 8. ut principis extinctæ familiæ nomen in adoptivos posteros transferret. quod etsi aliquando prætermissum foret, etiam post sæcula revocabatur. Certe Valerius Antias Lucii Sullæ æqualis fuit, adeoque minime familiæ illius auctor & princeps esse potuit quæ longe ante Sullana tempora in Urbe floruerat per Tribunos suæ Gentis. Ex Cajo itaque & Spurio Antiatibus Tribunis plebis alii eodem magistratu insignes descenderunt. Nam anno U. C. CCCXVI. M. Antius, anno autem CCCLI. Sp. & M. Antiates Tribuni plebis fuerunt. sequenti vero anno C. Antius, neque multo post bis 9. C. Antias & alter Sp. Antius Tribuni plebis creati sunt. Fuit tamen huic Genti præ reliquis ornamento C. Antius Restio, 10. qui cum Legem sumptuariam in tribunatu tulisset, ex eo numquam foris cœnavit, ne testis fieret contemptæ Legis, quam ipse, existimans e republica futuram, promulgaverat. Sæviente autem Triumviro-

7. *Pigh. Annal. l. 3.*

8. *Cic. pro domo. Ursin. in Vett. Plaut. in Pœnul. Panv. de Antiquit.*

9. *Pigh. l. 4. & 5. Annal.*

10. *A. Gell. Noct. Attic. l. 3. cap. 24. Macrob. Saturnal. l. 3.*

virorum proſcriptione alter C. Antius Reſtio e ſuperiore genus ducens 11. vir proconſularis a Triumviris proſcriptus incredibili ſervi pietate mortem evaſit. Hunc ſequutus eſt C. Antias Julius, qui ſub Domitiano cum Lollio 12. Paulino Conſul factus eſt. C. Antius quoque ſub Antonino Pio cum Opimiano Conſul eſt factus, dictuſque C. Antius Pollio. Ceterum, quanto ſplendore, quantaque dignitate Gens Antia Romæ fuerit, præſertim ſub Imperatoribus, ſatis aperte colligitur ex inſcriptione ſepulcralis lapidis ex monumentis Antiæ Gentis effoſſi via Oſtienſi. Ex eo enim conſtat, hanc Gentem inter Patricias tunc adlectam Romæ floruiſſe, & Claudiæ Imperatoriæ Genti cognationis vinculo junctam fuiſſe. Lapis autem ex Aldo Manutio 13. ſic habet:

11. *Appian. l.4. Bell. Civil. Macrob. Saturn. l. 1.*
12. *Ex Inſcript. ap. Panvin. l. 2. Faſtor.*
13. *In Orthogr. p. 40.*

D. M
M. ANTONII. ANTII. LVPI. PR.
PATRICII. AVGVRIS. QVAEST. SODAL.
TITIL. TRIB.
MIL. LEG. II. ADIVTR. PIAE. FIDEL. X.
VIR. STL. IVD. PRAEF. FER
LAT. CVIVS. MEMORIAE. PER. VIM. OP-
PRESSI. IN
INTEGRVM. SECVNDVM. AMPLISSIMI.
ORDINIS
CONSVLTVM. RESTITVTA. EST. SEPVLCHRVM.
AB. EO. COEPTVM
CLAVDIAE. REGILLAE. VXORI. ET. AN-
TIAE. MARCELLINAE. FIL
PIETATIS. SVAE. ERGA. EVM. TESTIFI-
CANDAE. GRATIA. ET
NOMINIS. EIVS. IN. PERPETVVM. CELEBRAN-
DI. PERFECERVNT. ATFINES

M. VALERIVS. BRADVA. MAVRICVS. PONTIF.
ET. ANTONIA. VITELLIA
Q. FABIVS. HONORATVS. T. ANNAEVS.
PLACIDVS

Hujus etiam Gentis fuiſſe veterem Poetam Furium Antiatem nomine, non immerito quis dixerit, ductus cognominis conjectura. Hujus Poetæ quæ extant fragmenta edita ſunt in Carminum Veterum Poetarum Latinorum volumine primo, Aureliæ Allobrogum; nec non in ſecundo præclaræ editionis Londinenſis a Michaele Maittaire procuratæ pag. 1526. Fuit ingenio & eruditione ſingulari, dignuſque, teſte Macrobio, ex quo Virgilius multa mutuaretur. Scripſit Annales hexametris, præter poemata, ſatis erudite, & eleganter. Illum Aulus Gellius adverſus Ceſellium Vindicem Grammaticum defendit, qui vocabula quædam ut minus Latina ab eo uſurpata improbaverat. Nonius etiam Marcellus & alii Grammatici verſus Furii Antiatis perſæpe afferunt. Catullo ferme ſuppar ætate fuiſſe videtur.

Aufidia ſequitur familia plebeja, quæ poſtea etiam Conſularis Romæ fuit. Hanc quoque Antio originem duxiſſe certum eſt. Auctor illius, de quo ſaltem antiquiſſima ad nos memoria pervenerit, 14. fertur Tullius Aufidius, ille qui M. Coriolanum Urbe exulem primus Antii excepit.

14. *Liv. l. 2. & Dionyſ. l. 8. & ſeq.*

Hic certe Volſci nominis princeps fuit, renuntiatuſque fuit Imperator Volſci exercitus una cum Coriolano, eo bello quo Marcius omnia pæne oppida Romanis fœderata expugnavit, patriamqua ipſam funditus evertere conatus eſt. Coriolano autem per vim ab Antiatibus ſublato, Tullius Aufidius iterum ab

Æquis

Æquis & Volſcis Imperator contra Romanos factus, fuſis prope Velitras Antiatum fœderatorumque copiis, ipſe ſtrenue dimicans, ab hoſtium impetu, cui ſuſtinendo pæne ſolus impar evaſerat, oppreſſus eſt. Hunc quidem Livius & Dionyſius Accium Tullium vocant: verum 15. Plutarchus Tullium Aufidium appellat. Plutarcho adhærere placuit, cum præcipue de Gente Aufidia Antiati teſtimonium reddat effoſſa inſcriptio prope Antium e ruderibus villæ Gentis Aufidiæ, quam dum effoderetur vidiſſe confirmat Caſerrus in manuſcriptis notis, quæ leguntur in Bibliotheca Pamphilia. Inſcriptio autem eſt hujuſmodi: *15. Plutarch. in Coriolano.*

AESCVLAP: SANCTO
COL: PRAESID: ET
FAM: TVTEL:
T. AVFIDIVS FRONTO
V. S. L. M.

Cum itaque T. Aufidius, qui idem forte fuit quem a Trajano Conſulem 16. creatum legimus, Æſculapium Antiatis Coloniæ præſidem, & familiæ ſuæ tutelarem appellat, ſatis ſuperque teſtatur, Antium ſuæ Gentis patriam fuiſſe. Romani namque conſueverant, ſi forte Gens aliqua a municipio vel Colonia originem ducens, poſt multum temporis quo Romæ ignobilis delituiſſet, dignitatibus poſtea atque honoribus augeretur, Numinum quæ antiquæ patriæ præerant, effigiem & nomina in inſcriptionibus, numiſmatibus, ac larariis paſſim ponere, atque in villis quas præſertim circa patrium ſolum poſſideret, iiſdem Numinibus monumentum aliquod inſigne conſtituere. Quem morem exemplum Gentis Antiſtiæ, in nummo quem *16. Panvin. l. 2. Faſtor. & Caſſiodor.*

mox

mox explicabo, aperte teſtatur; & exemplum Gentis Muciæ ſatis confirmat. Hæc ſiquidem, utpote quæ a Sabinis originem duceret, in nummis exhibere conſueverat Martem atque Romam repræſentantem 17. Sabinarum raptum. Fabatia quoque familia moris ejuſdem argumentum eſt, quæ pariter ex Sabinis originem ſe ducere teſtatura, nummum excudit, in quo erat effigies T. Tatii Sabinorum Regis, & mulieris, 18. quæ inter Tatium & Romulum media, pacem & fœdus illis ſuadebat: in altera vero nummi facie ipſum fœdus cum Sabinis ictum cernebatur. Antiatem itaque Aufidiam Gentem fuiſſe non immerito, ut mihi quidem videtur, ajo, poſthabita Fulvii, 19. & Reineſii conjectura, qui eamdem Samnitem ab oppido Aufidena exortam ſola nominis ſimilitudine ductus exiſtimavit. Gens autem Aufidia plebeja primum Romæ honoribus augeri cœpit ætate Appii Claudii. Ejus ſiquidem æqualis fuit Cn. ille Aufidius quem Cicero de Oratore inter Juriſperitos illius ætatis recenſet. licet Pomponius 20. hunc omiſerit. Hic cum eſſet vir prætorius, in Senatu quamvis cæcus ſententiam dicebat, nec amicis deliberantibus deerat. quodque magis mirere, Græcam ſcribebat hiſtoriam, multumque in literis videbat; ut cum Cicerone loquar. Unus ex hujus poſteris meruit bello Aſiatico, Sertorio duce. fuitque Cn. Aufidius ille qui eumdem Sertorium, ſub quo fecerat ſtipendia, una cum reliquis Romani exercitus principibus auctore Perpenna in Hiſpania ſuper cœnam trucidavit. cumque hos omnes conjuratos Pompejus occidi juſſiſſet, ſolus Aufidius evaſit, vitamque privatus apud barbaros duxit, ut late memorat Plutarchus. Hujus nepotes, 21. ab ejus nempe filio geniti, fuere duo illi Aufidius Tucca & Aufi-

17. *Lig. lib. de Fam. Roman. p. 27.*

18 *Id. ibid. p. 5.*

19. *Vet. Inſcrip. claſſ. 1. Inſcrip. 123. p. 161.*

20. *De Origine Jur.*

21. *Plutarch. in Sertor.*

Aufidius Namusa præclara Juris Legumque lumina, qui vixerunt initio bellorum civilium Cæsarem inter & Marcum Antonium, & ex institutione Servii Sulpitii prodierunt. Verum Tucca celebrior Namusa. reliquit enim 22. centum quadraginta libros a se conscriptos, in quibus sua præter & fratris consulta, sententias quoque Alfeni Vari, Auli Ofilii, T. Cæsii, Flavii Prisci, Caji Ateji, Pacuvii, Labeonis Antistii ac Publicii Gellii compilavit. E posteris etiam Aufidii Cæci fuit T. Aufidius Orator circa Sullana tempora, alterque T. Aufidius, qui cum esset publicanus Populi Romani in Asia, universam illam regionem 23. proconsulari imperio obtinuit. Consulari quoque dignitate aucta est Gens Aufidia. siquidem Cn. Aufidius Orestes Consul creatus est cum P. Lentulo, & T. Aufidius Fronto sub Trajano cum Severiano. M. quoque Aufidius Victorinus Consulatum gessit sub Antonino Pio, Cajus Aufidius Victorinus bis sub Commodo, a quo etiam contra Cattos, qui defecerant, missus est cum exercitu. Post hos M. Aufidius Fronto 24. cum Annullino sub Severo Consulatum obtinuit. Sed illustris cum primis fuit M. Aufidius Fronto Consul, & præceptor M. Antonini Philosophi; cujus consilio idem Imperator uti plurimum consueverat; quod & alii & Capitolinus præcipue tradiderunt, explicaturque in lapide Ligoriano Pisauri eruto, qui sic habet:

22. Pompon. de Origine Jur.

23. Val. Max. l. 6. c. 10.

24. Lamprid. in Commodo. Cassiodor. & Panvin. in Fast.

M. AVFIDIO FRONTONI
PRONEPOTI M. CORNELI
FRONTONIS ORATORIS CONSVLIS
MAGISTRI IMPERATORVM LVCII
ET ANTONINI. NEPOTIS AVFI-

DII VICTORINI PRAEFECTI VRBIS
BIS CONSVLIS FRONTO CONSVL
FILIO DVLCISSIMO.

In via Gabinia Prænestina non longe a mœnibus urbis erat sepulcrum Aufidiæ Gentis, unde duo lapides effossi sunt testantes insignia sacerdotia quibus nobiles feminæ ex Gente Aufidia defunctæ erant. En illos: 25.

25. Ligor. lib. de Fam. Rom.

AVFIDIAE TORQVATAE MAXIMAE
VIRGINI VESTALI SANCTISSIMAE
ET SACRATISSIMAE
T. AVFIDIVS T. LIBERTVS PROCIOPER
CVRAVIT III NON: AVG:
SER: SVLPICIO RVFO ET M. CLAVDIO
MARCELLO
COSS:

AVFIDIAE TVCIAE VERAE VIRG:
VESTALI MAXIMAE SEMPER
PIISSIMAE CASTISSIMAE SANCTISSIMAE
PATRONAE SVAE
Q. AVFIDIVS Q. LIB: MNESTAEVS
EX TEST: FAC: CVR:
D. D. KAL: SEPTEMB:
IMPERATORE CAES: AVGVSTO ET
SEX: APPVLLEIO COSS:

De Antistia Gente Antiati nunc dicendum superest, quæ ceteras Antii familias virtute & dignitatibus antecelluit. Sed antequam viros illustres ex hac familia commemorem, opus est ut illam Antio afferam, quod multi eam Antiatem fuisse negaverint. Gabinam itaque

que Antiſtiam Gentem dixerunt plures ſcriptores rerum Romanarum; quod non abnuerim, dummodo & Antiatem eamdem fuiſſe confirmem. Et Gabinam quidem eſſe, Sexti Tarquinii vulgatum 26. ſcelus evincit. *26. Dionyſ. lib. 4.* Hic enim Antiſtium Petronem Gabinorum facile principem, quod pacis tempore multa præclara geſſiſſet, pluribuſque prœliis ducis munere functus eſſet, trucidari juſſit. Nummus 27. etiam C. Antiſtii Veteris *27. Patin. in Sueton. pag. 268. & Harduin. de numm. &c. pag. 174.* Auguſti legati bello Cantabrico, & Conſulis anno U. C. DCCXXXXIII. idem confirmare videtur. In ejus anteriori parte hæ ſunt notæ: *Imp. Cæſar Augus. Trib. Poteſt. VIII.* in poſteriori vero: *C. Antiſtius Vetus. fœdus P. R. cum Gabinis*. Voluit ſiquidem in hoc nummo C. Antiſtius Auguſti legatus oſtendere, Gentem ſuam ex Antiſtio Gabinorum principe originem ducere, cujus nece, Gabiis expugnatis, initum fuit fœdus inter Gabinos 28. & Populum Romanum. *28. Dionyſ. lib. 3. & 4.* Gabina itaque fuerit ſane Gens Antiſtia; Antias tamen eadem fuit. quod ſic oſtendo. Utique ſatis conſtat, Romana florente Republica, Gabios adeo dirutos everſoſque fuiſſe, ut vix urbis reliquiæ ſupereſſent; quod luculenter teſtatur Cicero in Oratione pro Plancio, qui M. Laterenſem Tuſculanum deridens, quod in Conſulatus petitione officiis municipii ſui adjutus non eſſet, *Niſi forte*, inquit, *te Lavicana, aut Bovillana, aut Gabina vicinitas adjuvabat; quibus e municipiis vix jam qui carnem Latinis petant inveniuntur*; his enim verbis apertiſſime innuit Tullius, eas urbes adeo dirutas populoque deſtitutas ea ætate fuiſſe, ut vix jam ullus ex iis intereſſet Latinis Feriis quæ fierent in Monte Albano, & inde ſumeret viſcerationem.

Interpres 29. quoque Juvenalis ad illa verba: *Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos*, Gabinum munici- *29. Mancinell. in Juven. Satyr. 7.*

pium ita imminutum tunc temporis fuiſſe notavit, ut vix ab egenis frigentibus habitaretur; quibus proinde balneolo conductitio opus erat. quam provinciam, balneoli ſcilicet conducendi, Gabiis deſerto oppido jam jam ſuſcipere neglecti Romæ poetæ præ fame adigerentur. Facile fuit itaque, Antiſtiam Gentem Gabiis degentem poſt eorumdem everſionem Antium commigraſſe, ibique tamdiu ſedem ac domicilium habuiſſe, donec Romam traduceretur, ibique ſummis honoribus ac magiſtratibus adhiberetur. Id certe factum a compluribus conſtat. Sp. quidem Lucretius 30. poſt Sexti Tarquinii facinus, Lanuvii habitavit, relictaque Roma eodem familiam traduxit, diuque, tamquam in ſolo patrio, ibidem moratus eſt. Sulpitia 31. quoque Gens Camerio, antiquo Latii oppido, orta, Camerio a fundamentis everſo, Lanuvii longo tempore manſit, illiuſque Coloniæ magiſtratum ſummum adepta eſt. Et Gens Vitellia in Latio primum floruit, 32. mox Romæ, deinde in Sabinis, poſtremo in Apulia, ac demum poſtliminio veluti Romam reverſa eſt, imperioque Romano aucta. Ita Coruncania Camerio orta, teſtimonio Claudii Principis, eo diruto, Tuſculum ſeceſſit, tamdiuque ibidem permanſit, ut eam Tuſculanam omnes paſſim arbitrarentur & appellarent, adeo ut Populus Romanus neque ipſius Claudii Imperatoris 33. teſtimonio eamdem Camerinam eſſe proclamantis, aſſentiri voluerit. Hinc antiquorum Juriſconſultorum ſententia fuit, quod prima Gentis alicujus origo ex urbe certa deducta minime obeſſet quin ea Gens duplici ſæpe veluti patria frueretur. quod & ſingulis ætatibus factitatum, & hac noſtra præcipue factum cognoſcimus. quæ rerum humanarum viciſſitudo eſt, gentiumque omnium commercia communia poſtulant.

30. *Liv. l. 1.*

31. *Dionyſ. lib. 5. Pigh. lib. 1. & 2. Annal. & Fulv. Urſin. in Sulpit.*

32. *Sueton. in Vitell.*

33. *Tacit. lib. 11.*

lant. Itaque Valentinus Forſterus libro ſecundo Hiſtoriæ Juris Civilis Romani, antiquorum auctoritate ductus, Antiſtiam Gentem Antio ortam commemorat; quod poſt Gabiorum everſionem illi contigiſſe confirmo. Huc facit nummus 34. *Pub. Anteſtei Aedilis Curulis*, in quo Apollo cum Æſculapio & Marte deſcripti ſunt, quod ſcilicet Antiſtius ex Antio, ubi Dii illi colebantur præcipuo cultu, originem duceret. M. etiam Antiſtius Triumvir cudendæ monetæ cudit nummum imagine pariter Apollinis ſignatum. Quibus non minimum pondus addit, quod refert Caſerrus ante annos quinquaginta accidiſſe; effoſſam ſcilicet ſub Innocentio Decimo Pontifice Maximo Antii in vinea Pamphilia inſcriptionem in fragmento baſis cujuſdam lapideæ, quæ habebat:

34. *Ligor. l. de Fam. Roman.*

\- - - - - - - - - - - - - - - - - -

\- - - - - - - - - - - - - - - - - -

ANT: ET SPVR: D. D.

Licet enim ille putaverit, in hoc fruſto lapidis innui dedicationem aliquam factam ab Antonio & Spurio uni ex Diis Antiatibus, melius tamen crediderim, eam inſcriptionem innuere dedicationem aliquam alicui tutelari Numini Antiatum, Romanæ Reipublicæ temporibus ab Antiſtio & Spurilio 35. Tribunis plebis, qui ſimul eodem anno Tribunitiam poteſtatem Romæ adepti ſunt. His itaque fundamentis minime levibus, ſi rerum de quibus agimus vetuſtiſſimam, ita dixerim, vetuſtatem conſideres, Antiſtiam Gentem Antio ortam confirmo; ejuſque inſigniores aliquot viros breviter mox recenſeo. Plebeja fuit primum Gens hæc Romæ, pluribuſque magiſtratibus quos adminiſtrare ple-

35. *Liv. l. 4.*

plebejorum erat, defuncta est. Mox etiam ad patriciorum honores ascendit. Antequam enim plebejis quoque hominibus summus Consulum magistratus communis fieret, in comitiis habitis 36. A. U. C. CCCLXXV. ex patribus creati sunt Tribuni militum consulari potestate P. & C. Manlii cum L. Julio, ex plebejis vero Sextilius Albinus, & L. Antistius, quibus Diodorus addidit Herennium & Trebonium. Memoriæ quoque proditum est, Senatum legatos misisse ad Flaminium revocandum Q. Terentium, & M. Antistium. Scribit quoque Livius, 37. Antistium nobilem Centurionem absentem Tribunum plebis cum Tempanio & Sellio renuntiatum fuisse, & cum pro filio quæsturam petiisset, repulsam passum. Præclara etiam legatione functi sunt Sextus & Cajus Antistii Labeones, quorum alter 38. in Gallias cum M. Rhætio ad explorandum Hasdrubalis in Italiam adventum missus est; alter in Macedoniam. Hic autem Cajus Antistius Labeo egregius fuit J.C. & sub Cæsare meruit in Galliis; Cæsarianis exinde partibus relictis, ad Pompejum in Thessaliam sese contulit, mox Cæsare a conjuratis sublato, Bruto & Cassio conjuratorum principibus ipse adhæsit; quibus in prœlio fusis fugatisque, 39. se a servo, ne in hostium potestatem veniret, jussit occidi. Hunc excepit Q. Antistius Labeo filius, æqualis Ateji Capitonis, cui cum Augustus Consulatum sponte obtulisset, tanta tamque aliis percupita dignitate se ab illo augeri minime passus est, eamque 40. constantissime recusavit. Fuit scilicet ingenio maxime ad quietem composito, & ad omnem doctrinam & literaturam cum paucis accommodato, propterea gravibus Reipublicæ gerendæ curis minime idoneo. Hunc memorant, bifariam totum anni tempus divisisse, ita ut sex mensibus quidem in

36. Liv. l. 3. Verr. Capitolin. Panvin. in Fast.

37. Lib. 3. & 4.

38. Liv. dec. 3. l. 7. & dec. 5. lib. 5.

39. Plutar. in Cæs. & Appian. l. 4. de Bell. Civ.

40. Pompon. de Origine Jur.

in Urbe ad ſtudioſorum eruditorumque hominum docta commercia fovenda viveret, ſex vero reliquis menſibus aliquo extra Urbem ſecederet, ut libris conſcribendis per otium vacaret. unde illa quadraginta (quamquam alii, perperam ut puto, quadringenta legerint) librorum volumina, quæ de Juris Legumque quæſtionibus agerent, poſterorum memoriæ ac publico bono reliquit. In iis autem libris cum plurima ſcitu digniſſima expoſuit, tum multa etiam, quæ illi acris erat ingenii vis, ipſe veluti reperit, primuſque innovavit; quæ uberrimam exinde Maſſurio & Nervæ diſcipulis ejus controverſiæ materiam undequaque præbuerunt. Triumvir etiam legendo Senatui creatus M. Lepidum olim Auguſti hoſtem tunc exulantem adlegit, 41. interrogatuſque ab Auguſto, num alii quos loco Lepidi ſufficeret digniores eſſent, vocem libero homine dignam emiſit, ſuo nempe quemque uti judicio, quandoquidem ſuum cuique eſſet. Narbonenſem quoque Provinciam Proconſulem adminiſtraſſe, libroſque quindecim de diſciplinis Etruſcis, & Juris Pontificii commentaria ſcripſiſſe, Plinius & Feſtus auctores ſunt. Hujus fratrem fuiſſe crediderim Cajum illum Antiſtium qui primus ſe Reginum appellavit, legatuſque Cæſaris fuit, ipſius 42. Cæſaris teſtimonio, cujus filius a Triumviris conſtituendæ Reipublicæ proſcriptus 43. ad Auguſtum ſe contulit. Antiſtii tamen Veteres plus ceteris honoris ac dignitatis ſunt aſſecuti. quippe refert Vellejus, 44. Cæſarem ſub Antiſtio Vetere Quæſtorem fuiſſe, qui avus Antiſtii Veteris Conſulis atque 45. Pontificis Maximi fuit, ex quo filii duo conſulares & ſacerdotes extitere, Cajus nempe Antiſtius Vetus, qui una cum Cæſare Conſulatum geſſit, & C. alter Antiſtius Vetus, qui ſub Auguſto cum L. Balbo Conſul fuit. Pater vero Antiſtii Vete-

41. Sueton. in Aug. c. 54.

42. Cæſ. de Bello Gallico l. 6. & 7.

43. Appian. l. 4. Bell. Civ.

44. L. 2.

45. Dio in Aug. Fulv. Urſ. in Antiſt. & Panvin. in Faſt.

Veteris avi Antiſtii Veteris Conſulis & Pontificis Maximi, fuit Ædilis curulis & Prætor, quem Damaſippus Paſtor, quod Sullanis rebus faveret, una cum C. Carbone in Curia Hoſtilia trucidavit. 46. Ex his autem omnibus Veteribus Antiſtiis plures Conſules orti ſunt. Claudio quippe imperante C. Antiſtius Vetus ſuperioris illius, qui cum Auguſto Conſul fuerat, filius una cum Suillæo, vel, ut aliis placuit, 47. Serviliano, Conſulatum geſſit. atque haud ita multo poſt L. Antiſtius Vetus cum Nerone Conſul renuntiatus eſt. eoque anno quo Domitianus ſuorum inſidiis occiſus eſt, Conſules fuerunt C. Antiſtius Vetus & C. Fulvius Valens, qui octoginta annos natus in magiſtratu deceſſit. Nerva quoque imperante L. Antiſtius Vetus cum Aemilio Conſulatum obtinuit, & ſub Antonino Antiſtius quidam, cujus prænomen nuſquam legitur, bis Conſul fuit; primo quidem cum Glabrione, atque iterum cum Gallicano. Conſulem quoque fuiſſe L. Antiſtium Burrum, ſeu Burrhum, cum M. Aurelio Antonino tertium Conſule, memorat inſcriptus lapis: 48.

46. *Vellejus l. 2.*

47. *Tacit. l. 12. Caſſiodor. & Panvin. in Faſt.*

48. *Ap. Fabrett. cap. 4. p. 340.*

SIGNVM GENI CENTVRIAE CVM AEDE
MARMORIBVS EXORNATA ET ARA SVA PE-
CVNIA FECERVNT
Q. SOCCONIVS Q. F. CRVST: PRIMVS TVDER:
ET EVOCATI ET MILITES: QVORVM NO-
MINA IN ARA SCRIPTA SVNT
IMP: M. AVRELIO COMMODO ANTONINO
AVG: III L. ANTISTIO BVRRO COSS:

Tot itaque ac tantis honoribus ac clientelis aucta Gens Antiſtia, ipſis Imperatoribus in amicitiam expetenda viſa eſt, adeo ut L. Commodus Imperator exiſtimans, Gen-

Gentis hujus affinitatem ſibi ad obtinendum imperium plurimum allaturam, 49. eam ſibi expetierit, Antiſtia L. Antiſtii Burri ſorore in uxorem ducta. Hunc autem etiam L. Antiſtium Burrum ſub Commodo Conſulem fuiſſe, Lampridius & Capitolinus prodiderunt. Ceterum huic Genti exitiales ſemper nuptiæ nimium illuſtres extiterunt. Accuſato namque Pompejo Magno, quod manubias Aſculanæ prædæ ſuſtuliſſet, apud Antiſtium Prætorem, quem avum Antiſtii Veteris Conſulis fuiſſe, nuper commemoravi, Prætor clam, Pompejo filiam ex conventione deſpondit; dumque illum abſoluturus ſententiam ferret, ac pro roſtris Pompeji defenſores orarent, plebes initi ſecreto pacti jam conſcia, Thalaſſium exclamavit, antiquum Romanorum in nuptiis morem innuens, qui Thalaſſium veluti Numen quoddam invocabant, ut lætum foret 50. fauſtumque conjugium. Plebs itaque liberis vocibus, quibus olim Reſpublica ſtabilita fuerat, Prætorem ſpe nuptiarum filiæ corruptum palam conquerebatur. Lata igitur ſententia eſt, abſolutuſque Pompejus, qui & Antiſtiam duxit. verum Prætor, quod morem ſocero gerens, Sullæ faveret, in Curia Hoſtilia trucidatus eſt. Vix autem illo ſublato Pompejus facti pœnitentia motus, quod ſcilicet Antiſtiam turpiter duxiſſet, vel quod uxorem ducere ac repudiare prout e re ſua vel contra eſſe exiſtimaret, conſueviſſet, Antiſtiam repudiavit, deſponſavitque ſibi Æmiliam privignam Sullæ, quam gravidam tulit a viro ſuo. quo audito Antiſtiæ mater nec probrum nec dolorem ferens, gladio ſeſe ipſa tranſverberavit. Hujuſmodi enim ferme exitum accipiunt iniqui judices. Idem accidit Antiſtio Burro, qui cum Commodi affinitatem expetiviſſet affectati imperii cauſa, accuſa-

49. *Lamprid. in Commodo.*

50. *Plutarch. in Pompejo.*

tus de hoc post nuptias apud eumdem, una cum Arrio Antonino infeliciter occisus est. Quocum etiam periisse Capellam Antistium insignem pariter Jurisconsultum, sunt 51. qui testantur, quamvis ipsum Commodum præceptor instituisset. Ceterum, male quidam scripserunt, Gentem Antistiam sub Commodo extinctam omnino fuisse; siquidem ex hac Gente Consules fuere sub Diocletiano, atque adeo sub Macrino. In Fastis certe Capitolinis sub reparati orbis anno CCXVIII. Adventum quemdam Consulem notatum legimus, quem Cajum Antistium Adventum Severi vel Caracallæ legatum, ac Provinciæ ulterioris Germaniæ proprætore fuisse, nullus dubito. De quo etiam in lapide hæc extant: 52.

51. *Lampr. in Commodo & S. Fulgēt. Serm. 3.*

52. *Ap. Spō. Sect. 3. pag. 72.*

IOVI O. M. SVMMO
EXSVPERANTISSIMO
SOLI INVICTO APOLLINI
LVNAE DIANAE FORTVNAE
MARTI VICTORIAE PACI
C. ANTISTIVS ADVENTVS
LEG: AVG: PR..... PR
DAT:

Et hæc quidem de hac Gente satis dicta sint.

De Gente Anicia dubitare quis posset, num origine Antias fuerit. Scrupulum injicit lapis qui inter antiqui Antii rudera in Pamphilia Villa sic legitur:

FLORENTE IMPERIO D. D. D. A. A. A. C. C. C. Q. N. N. N.
GRATIANI
VALENTINIANI ET THEODOSI PRINCIPVM MAXIMORVM
THERMARVM SPECIEM RVINAE DEFORMI-
TATE SORDENTEM
ET

ET PERICVLOSIS PONDERIBVS IMMINENTEM
QVAE LABANTEM
POPVLVM METV EIVS SOLLICITVDINIS DE-
TERREBAT EXCLVSA TOTIVS
CARCE VETVSTATIS AD FIRMAM STABILI-
TATEM VSVMQVE TECTORVM
ANICIVS AVCHENIVS BASSVS V. C. PROCON-
SVL CAMPANIAE
VICE SACRA IVDICANS REPARAVIT IN ME-
LIOREM CIVITATIS NITOREM.

Lapis iste tamen nihil omnino conducit ad Aniciam Gentem Antio afferendam. Hoc enim tantum exprimit, Anicium Bassum scilicet thermas Antii vetustate labantes restituisse ex officio, quod esset Campaniæ Proconsul, in qua Provincia ea ætate Antium quoque continebatur. Ceterum Gentem Aniciam celeberrimam Præneste primum ortam ferme jam apud omnes constat, licet non defuerint qui illam aliunde originem primam duxisse senserint. De illa fuse disseram Deo dante, cum de Prænestinis sermo erit, ubi etiam quidquid ad lapidem modo adductum explicandum faciet, in medium afferam. Interea hæc de familiis Antiatum dicta sufficiant; quæ si paucæ, tres scilicet tantum, ad nostram usque memoriam pervenerunt, id vetustati, ac rerum vicissitudini tribuendum; nec dubitandum sane est, hanc florentissimam quondam Coloniam pluribus, immo plurimis, illustribus familiis ornatam viguisse. Tu vero quicumque legis boni consule, & pauca hæc summo labore eruta undique & conquisita, amicis oculis perlustra.

CAPUT VIII.

De magistratibus Antiatum, eorumque prisca Reipublicæ administratione.



QUINAM Reipublicæ administrandæ mos fuerit apud priscos Antiates, non satis liquet, cum ejusdem perexigua ad nostram ætatem monumenta pervenerint. Cum tamen Antium & Volscam urbem, & inter Latinos Priscos recensitam, & Romanorum Coloniam fuisse, supra commemoraverim, æquum erit ex Volscorum, Latinorum, ac Romanarum Coloniarum moribus, quibus utebantur in administranda Republica, etiam Antiatum ordinem in eadem administranda investigare, & exponere. Latinorum itaque veterum exemplis maxime utar: utque rectus narrationis ordo procedat, tria tempora sive tres quasi ætates Antiatum distinguam, in quibus vario ordine Rempublicam administrarunt. prima quidem ante Romam conditam usque dum Romanorum Colonia Antium deduceretur; altera vero, Colonia jam deducta, usque ad Romanæ Reipublicæ per Julium Cæsarem eversionem; tertia tandem sub Imperatoribus Romanis, donec omnino interiret. Et quidem ante Romam conditam Antium Albanis Regibus paruit; constat enim, Ascanium Æneæ filium, 1. a quo Antium maxime auctum fuit, eodem Albanorum Coloniam deduxisse. Jure etiam civitatis Albanæ Antiates donatos minime dubium est. qui honos ab Albanis, Latii tunc magna ex parte dominis, nonnisi Græcis Latinisque cognatis tribuebatur; ut aperte Metius Fufetius Albanorum Dicta-

1. *Vide in cap. 1. hujus libri.*

ctator in concione 2. ad Tullum Hostilium Romanorum Regem jactavit. *Albanorum genus*, inquit, *quale olim sub Urbis conditoribus fuit, tale usque ad nostra tempora permansit; nec ulla ostendi hominum natio potest, præter Græcos & Latinos, quæ jus civitatis apud nos adepta sit: immo nulla civium pars in Reipublicæ forma quidquam mutat, sed jam per octodecim ætates, ex quo condita est Urbs, patrias consuetudines omnes decenter observat.* Jure autem civitatis Albanæ poterant Antiates cum Albanis ceterisque Latinis, atque etiam cum Græcis connubia jungere, minime autem cum externis populis, qui inter barbaros omnes recensebantur. Albani itaque Antii ceterisque Latinis populis judices constituebant, apud quos Reipublicæ controversiæ dirimerentur, quique civium causas cum summa potestate cognoscerent. Certe hunc apud Albanos in ipsa Albana urbe morem extitisse constat, ex eo quod Amulius Rex Iliam Vestalem sacrilegii, utpote quam gravidam invenerat, damnaturus, judices qui sententiam in eam dicerent, convocavit.

2. Dionys. lib. 3.

Dionys. l. 1.

Amulio autem ac Numitore Regibus sublatis, regiaque stirpe deficiente, Albani annuos magistratus crearunt, penes quos rerum summa esset. Dictatores eos appellarunt. Hunc magistratum a Numitore primum habuisse originem, refert Plutarchus; Numitorem scilicet Albanis gratificaturum, cum absque liberis, quibus Regnum relinqueret, decessurus esset, Albanorum Rempublicam a Dictatoribus, qui principum suffragiis eligerentur, summoque potirentur imperio, deinceps administrandam testamento 3. reliquisse. Ex quo constat, Cluilium (quem post Numitorem inter Albanos Reges adnumerant nonnulli) non Regem illum quidem, sed Dictatorem regia potestate crea-

3. Dionys. l. 5. Liv. l. 3.

creatum fuisse. Albanorum itaque Dictatori parebant omnes Latinæ urbes, Albanorumque Coloniæ quæ Regibus antea subditæ fuerant; ac proinde Antium quoque judicibus ab Albanis primum Regibus deinde Dictatoribus sibi constitutis paruisse, facile est. Roma vero jam non modo condita, verum & latius imperium in dies proferente, Albaque post Tergeminorum certamen eversa, Senatuque Romam a Tullo Hostilio translato, Latinæ urbes sese in libertatem vendicarunt; moremque regiæ urbis dirutæ secutæ, Dictatores sibi unaquæque crearunt, qui annuo magistratu summa cum potestate fungerentur, summumque imperium tam in urbem, quam in agrum omnem exercerent. Iccirco Fidenates, Lavinienses, Tusculanos, Lanuvinos, aliosque Latinos populos Dictatorem habuisse legimus; quem magistratum apud Latinorum quosdam vel diu durasse, vel certe post multas ætates restitutum constat, cum Ciceronis 4. ætate Milo Lanuvii Dictator fuerit, & Hadrianus, antequam Romanorum Imperator fieret, per Latina 5. oppida Dictaturam sæpius obierit. quamquam Dictatores hujusmodi non ea potestate qua primo fuerant, deinceps extitisse, satis norim. Dictatorem proinde Antiates quoque sibi constituisse, nullus merito dubitabit. Ceterum, ab Albanis Romanos morem Dictatorem creandi cum summo imperio accepisse, constat; immo & Romanorum Reges captis Latinorum oppidis Dictatores præfecisse, qui ea 6. in Romanorum fide servarent, legimus; siquidem Tarquinius Superbus expugnata Collatia, illi Aruntem Tarquinium fratris sui filium Dictatorem imposuit, ex quo Aruns Collatini nomen accepit. Cum autem Romana potentia majoribus in dies viribus augeretur, Latina gens tamquam cognata & fœderata publicum

4. *Pro Mil.*

5. *Spartian. in Hadriano.*

6. *Dionys. l. 3.*

in

in luco Ferentino indicere concilium consuevit, in quo fœdera, bella, ac leges, & quæcumque e Republica forent, sancirentur. Intererant huic concilio principes omnes ac præsides populorum, qui Latini nominis essent; quos inter & Antiates licet Volscæ gentis fere semper adfuerunt. Inter hæc Dictatura omnis cessabat; nusquam enim legimus, huic concilio Dictatores interfuisse. Quæ autem in concilio hujusmodi 7. tractari solerent, repetere hic minime juvat, cum alibi, utpote in loco, ea omnia meminerimus. Ceterum, Antiates concilio 8. hujusmodi quandoque abfuerunt; cum enim Latinos inter & Tarquinium Superbum fœdus adversus Romanos sancitum est, inter populos qui hujusmodi fœderi nomina dederunt, Antiates recensitos minime leges. icto quoque fœderi Romanos inter & Latinos Sp. Cassio & Posth. Cominio Coss. 9. Antiates Volscis conjuncti non modo non adhæserunt, verum etiam quam celerrime a Cominio fugati sunt. L. tamen Junius Fenestella, 10. sive quis alius auctor est libri de magistratibus, (adhuc enim sub judice lis est, utrum antiquus sit liber ille, vel certe auctoris quem præsefert) hic, inquam, inter populos qui cum Tarquinio fœdus inierunt etiam Antiates annumerat. Illud plane constat, ultimo Latino bello, cui Annius Setinus Latinorum Prætor præfuit, ex concilii Ferentini indicti consulto etiam Antiates inter ceteros 11. Latinos populos nomina dedisse. quamquam & illud in comperto sit, Antiates nempe sæpius cum Volscis adversus Romanos fœdus iniisse. Hinc liquet, Latinam gentem in unaquaque urbe, ac proinde Antii quoque, Dictatores ac Præsides creasse, penes quos rerum summa esset; Prætores etiam duos, qui ceteris præessent domi forisque,

con-

7. *Vide 1. partem hujus Historiæ.*
8. *Dionys. l. 5. L. Flor. l. 1. c. 11.*
9. *Dionys. l. 6. Liv. Dec. 1. l. 2.*
10. *Lib. 2. c. 8.*
11. *Liv. l. 8.*

constituisse; atque hunc Reipublicæ administrandæ modum usque dum a Romanis Coloniæ deducerentur, perseverasse. Immo etiam post deductam Coloniam, atque adeo Imperatoribus Romanis rerum potitis, constat, Antii Prætores creatos. idque ex inscriptione, quam Antii ad portum a me lectam ita descripsi:

DIIS MANIBVS
T. FLAVIO AVG. LIB.
EVANGELO TABLARIO
PRAETORI ANTIATINI
M. VLPIVS AVG. LIBERIS CVS.
PARENTI BENEMERENTI
H. M. H. N. S.

In qua inscriptione illud singulare notandum, quod Antiates etiam Antiatini dicti sint. Illud etiam obiter animadvertendum, notas illas H. M. H. N. S. significare: *Hoc monumentum hæredes non sequitur*, sive *ne sequatur*. quibus cavebatur ne posteri eodem sepulcro tumularentur, sive in spatii circa sepulcrum assignati possessionem involarent. quod manifeste ait Horatius:

* Saty. 8. l. 1.

Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat, hæredes monumentum ne sequeretur.

Exprimebant autem mensuram sic: *In Fr. P. M. In Agr. P. CCC.* Illud autem notandum, Latinis populis per hæc tempora ab Romanis permissum ut Romam ad Romanorum Regis solemnes exequias celebrandas convenirent, augendæ funebris pompæ gratia, odoresque 12. ac suffimenta, quæ in rogum projicerent, publice afferrent. Jam vero deducta Antium Romanorum Colonia, antiquus etiam Reipublicæ ministrandæ

12. Plutarch. in Num.

dæ ordo immutatus eſt. cum enim Romanæ Coloniæ juxta Aulum 13. Gellium, Urbis ſimulacra eſſent, aliam omnino ab antiqua Reipublicæ formam aſſumpſerunt. nam ſtatim atque aliquo Colonia deducta erat, decima pars eorum qui deducti forent, concilii 14. publici gratia conſcribebatur. hi autem Decuriones appellati. quem morem Decurionum conſcribendorum aliquando etiam municipia 15. ſecuta eſſe accepimus. Hos conſcribebant Duumviri, vel Quatuorviri, vel etiam Decemviri abs Senatu ad deducendam Coloniam miſſi, qui præter centum Decuriones, Augures quoque ac Pontifices qui ſacra curarent, conſtituere ſolebant. Sane Decuriones in Coloniis iidem erant 16. qui Romæ Senatores, idem quippe jus ſuffragii apud ſuos habebant, quod Romæ Senatores ſive Patres Conſcripti. iccirco in Coloniis Duumviri qui gerebant magiſtratum ad Decuriones deferebant quæ agitarentur, eorumque ſententiam rogabant; quemadmodum Conſules ad Senatum Romæ ſolebant. Hinc etiam Tacitus 17. Coloniarum Decuriones Senatores appellavit, quo nomine & in Codice Theodoſiano 18. eoſdem fuiſſe appellatos legimus. Vetuſtæ quoque inſcriptiones, quarum plures colligit Gruterus, Coloniarum hujuſmodi concilium Senatum nuncupatum ſæpius eſſe, fidem faciunt. Certe non raro in illis occurrunt hæ notæ: 19. *S.P.Q. Tiburs*; *S.P.Q. Tuſculanus*; *S.P.Q. Setinus*, immo &: *Ordo Decurionum ſanctiſſimus*. aliquando & *ſplendidiſſimus* dicebatur. qui vero in Curia ſententiam dicerent, *Conſcripti*; *Patrum* titulo Romanis Senatoribus relicto. Quæcumque itaque Duumviris ſententiam rogantibus Decuriones ſtatuiſſent, ea Decurionum decreta dicebantur 20. eamdemque vim apud ſuos habebant quam Romæ Senatuſconſulta. Jam ve-

13. *Noct. Attic. l. 16. c. 3.*

14. *Cic. de Legibus & contra Rull.*

15. *Gruter. & Fabrett. c. 6. Inſcript. p. 462.*

16. *Cic. ubi ſup. Sueton. in Aug. & Beroald.*

17. *Lib. 13.*

18. *De Decurionibus.*

19. *Gruter. Inſcript. pag. 457. & ſeqq.*

20. *Harduin. de Num. popul. & urb. pag. mihi 123.*

ro cum hæc Reipublicæ forma Latinis ferme omnibus urbibus paulo celebrioribus fuiſſet uſque ad Auguſtum; Auguſti tempore nonnihil immutata eſt, ſiquidem vetuit Auguſtus, ne 21. quod eouſque obtinuerat, plebs in Coloniis in poſterum ſententiam diceret, decretiſque Decurionum plebiſcita adjungerentur; juſſitque, comitiorum ac ſuffragii jus in Coloniis penes ſolos Decuriones deinceps eſſe. qui mos diutinus in omnem Romani imperii ætatem conſtanter perſeveravit. Suſtulit quoque Auguſtus Coloniarum Decurionibus jus Duumviros eligendi, qui Rempublicam adminiſtrarent, nulla ab Romanis ad id præſtandum facultate impetrata. Ceterum tanti olim fuit Decurionem agere in Latinis Romanorum Coloniis, ut nobiliſſimi quandoque inter Romanos Senatores eo munere functi ſint. Certe Pompejum Magnum Capuæ Duumviratum geſſiſſe, auctor eſt Tullius 22. & Titus Claudius Coræ Decurio factus, in inſcriptione Coræ nuper effoſſa legitur. Si autem de eligendis Duumviris inter Decuriones minime conveniſſet, ad Senatum Romanum, ut quid opus facto eſſet decerneret, minime deferebant, verum Interregem creabant, 23. qui dum inter partes conveniret, juridicundo præeſſet, Senatum cogeret, ceteraque omnia quæ Romæ Conſulum erant, præſtaret. Hunc autem magiſtratum aliquando etiam 24. Romæ creari placuit, præcipue ſub Regibus; unde etiam hunc morem ab antiquis Latinis deductum Romanos accepiſſe, merito quis dixerit. Aliquando Interregis loco Præfectum aliquem ex optimatibus & principibus nominabant, qui partes inter ſe diſſidentes in eligendis Duumviris quantocius conciliaret. Non omnibus tamen Coloniis præfuerunt Duumviri, ſiquidem in earum quibuſdam Quatuorviros

21. *Sueton. in Aug. c. 46.*

22. *Cic. in Or. poſt red. in Senat.*

23. *Gruter. Inſcript. 394. 5.*

24. *Liv. l. 1.*

ros 25. ſummum magiſtratum geſſiſſe legimus. Itaque Fregellis Quatuorviros præfuiſſe conſtat, atque etiam Bovillis, juxta priſci marmoris Bovillani luculentum teſtimonium in hæc verba: 26.

25. Cic. pro Cluent & l. 10. ad Attic. ep. 13.

26. Ap. Fabrett. Inſcript. p. 456. & 460.

L. MANLIO L. F. PAL:
SEVERO REGI SACRORVM
FICARI PONTIFICVM P. R.
IIII VIRO BOVILLENSIVM &c.

Signiæ quoque in Lepinis, Tibure, ac Setiæ Romanis per Latium Coloniis 27. Quatuorviros ſummum magiſtratum obiiſſe, inſcriptiones veteres docent. Pluribus quædam Coloniæ Rempublicam curandam tradebant, quindecim enim aut etiam viginti virorum magiſtratum crearunt. Certe in Algido in templo Dianæ, quod ſummæ religionis fuit apud profanos Latinos, quindecim viris ſacrorum curandorum, & Reipublicæ gerendæ provincia demandata erat. Hos in ſuo ſæculari Carmine ad Apollinem & Dianam Horatius commemoravit his verſibus: 28.

27. Ap. eumdem plurib. loc.

Quæque Aventinum tenet Algidumque,
Quindecim Diana preces virorum
Curet. &c.

28. Horat. Carm. ſæcul. v. 69.

Antii autem, de cujus urbis magiſtratibus nunc præcipue ſermo eſt, viginti viros Rempublicam ſummo imperio curaſſe ætate ſua, locuples teſtis eſt Cicero in epiſtolis 29. ad Atticum. *Proxima eſt*, inquit, *illi municipio hæc Antiatum civitas. eſſe locum tam prope Romam, ubi multi ſint qui Vatinium numquam viderint? ubi nemo ſit præter me, qui quemquam ex viginti viris unum eſſe ſalvum velit?*

29. Lib. 2. ep. 6.

In pleriſque Coloniis vero non Duumviri, aut Quatuorviri, sed Dictatores jus dicebant. quod Milonis

exemplo, qui a Cicerone in Miloniana electus Lanuvii Dictator dicitur, manifestum est: & Hadriani Imperatoris, qui ante assumptum Imperii Romani regimen Dictaturam in pluribus Latii Coloniis obiisse legitur.

Ceterum, insignia hujus supremi magistratus in Coloniis hæc erant. Lictores duo, qui magistratum, quotiescumque prodibat in publicum, præirent cum bacillis ad summovendam turbam. Fasces Duumviris minime jure præferebantur; quod plane constat ex superbiæ nota quam Cicero 30. in Capuanis Duumviris reprehendit, qui sibi consulari more fasces præferri jubebant. licet autem ex Lege Codicis Theodosiani *de Decurionibus*, & ex Apulejo 31. colligi posse videatur, prælatos fasces Duumviris in Coloniis aliquando fuisse, id nonnisi ante civilia bella, nec frequenter tunc quoque, accidisse crediderim. Duumviris vero sive pluribus summum magistratum gerentibus togæ erant purpura prætextæ, & quidem de more candidæ; quin etiam si prius vita quam magistratu defuncti essent, eadem 32. toga induti in rogum injiciebantur. quem morem innuit Juvenalis, Italiæ reliquæ modestiam laudans præ Romanorum luxurie:

30. *Cic. in Agrar.* 2.

31. *Lib.* 10.

32. *Liv. l.* 4. *Dec.* 4. *& l.* 32. *& Ferrar. de reve-stiar. c.* 3.

33. *Juven. Satyr.* 3.

33. *Pars magna Italiæ est, (si verum admittimus) in qua*
Nemo togam sumit nisi mortuus, &c.

Si autem pompæ funebri Duumviri interfuissent; pullas togas ac prætextas induti aderant. Utebantur & lato clavo purpurei coloris. hujusmodi autem indumentum Senatorum Romanorum sive saltem Patriciorum Romanorum proprium aliquando fuit, summique pretii ac dignitatis; quamquam & Romanorum Prætorum scribas aliquando in oppidis usos fuisse illo, constet. Hujusmodi erat scriba ille Fundanus, quem ridet Horatius: 34.

34. *Satyr.* 5. *l.* 1.

Fun-

Fundos Aufidio Lusco Prætore libenter
Linquimus, insani ridentes præmia scribæ
Prætextam & latum clavum prunæque batillum;

foculum nempe cum batillo ad sacrificandum, sive tus imponendum honoris gratia. Lati clavi autem figuram non absimilem virorum religiosorum nostri temporis 35. cucullis, sive curtis penulis Purpuratorum Patrum, qui Pontifici Maximo sunt a consiliis, fuisse, sunt qui affirmant. *Latum clavum* autem sive *laticlavium* hanc vestem dixerunt, quod illi purpurei clavi intexti vel potius insuti essent, 36. quasi flores panno superadditi; lati autem, quibus Senatores induebantur, ob discrimen alterius vestis quæ *angusti clavi*, sive *angusticlavium* dicebatur, quæ tantæ non erat dignitatis. Denique Duumviri sella curuli utebantur, quæ cum duobus 37. una esset, *bissellium* appellata est. Ceterum in urbibus Italiæ, sive tandem municipia, sive Coloniæ eæ essent, summum magistratum Æediles aliquando gessisse planum est. Certe Juvenalis summos illos vocat; loquens enim de Italiæ urbibus, in quibus ludi minimo sumptu edebantur 38. *clari*, inquit, *velamen honoris Sufficiunt tunicæ summis Ædilibus albæ*. Ac ne quis reponat, eos summos Ædiles vocari, quod ab iis ludi ederentur, adeoque ea occasione præcipuus iisdem honor haberetur, ceterum Ædiles nullatenus Rempublicam administrasse; Juvenalis idem apertius rem indicat de Sejani casu loquens his versibus: 39.

35. *Vet. interp. Persii & Tomasin. de Donar. lib. 2.*
36. *Rosin. Antiq. lib. 5. c. 33.*
37. *Noris & Fabrett. Inscript. c. 3. fol. 228.*
38. *Juven. Sat. 3.*
39. *Id. Satyr. 10.*

Hujus qui trahitur prætextam sumere mavis,
An Fidenarum Gabiorumque esse potestas,
Et de mensura Jus dicere, vasa minora
Frangere pannosus vacuis Ædilis Ulubris?

Ecce tibi Ædiles qui jus dicebant, erantque oppidorum summa potestas. Utrum autem in Coloniis, utrum in mu-

municipiis Ædiles summum gesserint magistratum, quando aut quamdiu, non pugno. Illud tantum innuere volui, etiam Ædiles jus dixisse; quod video multos præteriisse. Ceterum, & illud obiter animadvertendum, *Potestatis* nomen, quo magistratus in aliquibus Etruriæ oppidulis, & etiam in nobilibus Venetorum urbibus hisce temporibus appellatur, recens, ut multi putant, minime esse. Hi autem Coloniarum magistratus ferme annui erant, & in maximi momenti rebus a Romanis pendebant, præcipue post Augustum 40. a quo eorumdem electio statim ac creati essent, probari debuit.

40. *Sueton. in Aug.*

CAPUT IX.

De Portu Antiati.



ERRANT qui putant, Antiatem portum a Nerone primum constructum fuisse. siquidem portus Antiatis frequens est apud Latinos scriptores mentio multo ante Neroniana tempora. Immo ferme ab Romanæ Reipublicæ exordiis Antii portum jam extitisse compertum est; de eo namque permulta commemorantur ab auctoribus, quæ omnia ignorasse illi qui a Nerone ejus initium ducunt, dicendi sunt. Et quidem si non abs re conjecturam facere licet, portum aliquem Antii constructum ab incunabulis ipsius urbis 1. crediderim. qui enim fieri potuit, ut Trojani littoralibus Latinis immixti, nauticamque apprime callentes, opportunitatem pelagi nacti, nullatenus locum molibus munirent, ut esset quo naves sese in tutum reciperent ac collocarent? Auctum deinde, qui initio parvus, ut

1. *Vid. c. 1. hujus libri.*

sunt

ſunt ferme rerum etiam maximarum primordia, fuerat, hunc portum & ab Antiatibus ſæpius poſterioribus ſæculis, & a Nerone cum primis maxime exornatum atque illuſtratum, non inficias eam. Fuit itaque Antii portus ac navale omnibus quæ ad claſſem opus forent comparandam atque adornandam copioſe inſtructum. Quamquam autem ea quæ de hoc portu modo ſum narraturus, ſecundo hujus libri capite, quod de Antiatum deducta Colonia inſcribitur, ex parte commemoraverim, opus tamen minime ludam eadem per ſumma capita, utpote in loco, rurſus in medium proferendo. Anno itaque ab U. C. CCLXXXIII. T. Numicius Conſul fuſis Volſcis prope Antium, 2. urbem opulentiſſimam, ac munitiſſimam, intra quam Volſci ſeſe receperant, oppugnare non eſt auſus, ſed cum toto exercitu Cenonem Antiatum oppidulum maritimum, ſive Cerionem, 3. ut Sigonio placet, quod Antiatibus erat navale ſimul ac forum rerum ad victum pertinentium, aggreſſus, illud vi cepit, ingentique abducta præda, navibus pluribus incenſis ac viginti duabus longis una cum reliquarum armamentis ſublatis, oppidulum diripuit, ac ſolo æquavit, navalia quoque ædeſque incendit, ne ulli deinceps Antiatibus uſui forent. Ecce tibi ab exordio ferme Romanæ Reipublicæ, quod oſtendere modo receperam, Antiatum portum, illumque munitiſſimum, & a navibus & a navalibus inſtructiſſimum. Excitatum porro hunc portum eo loco quo nunc Neptunium oppidum, ejuſdem ruinæ ac vivacia in hanc uſque ætatem veſtigia nonnulla dubitare non ſinunt. His adde ea quæ priſci ſcriptores 4. de angue illo Epidauro advecto primo Punico bello, quem Æſculapium fabuloſa jactavit antiquitas, commemorarunt; e navigio ſcili-

2. Liv. l. 2. Dionyſ. l. 9. Diodor. Sic. l. 11.

3. In ſchol. ad epit. T. Liv. l. 2. n. 75.

4. Liv. l. 10. Val. Max. l. 1. c. 8.

ſcilicet dilapſum in Æſculapii templi veſtibulum ſeſe continuo recepiſſe, triduumque inibi commoratum. Navis ſiquidem, ut ipſi referunt, quæ anguem deferebat, prope Antium conſedit, at ſerpens relicta navi ſulcataque arena littorea (quæ ſunt Ovidii 5. verba) prolapſus eſt in veſtibulum ædis Æſculapii; conſtat itaque, non longe ab æde portum quo navis appulerat, extitiſſe. Neptunium autem oppidum eo loci excitatum, ſupra docui, fuſiuſque alibi oſtendendum erit. Siquidem Æſculapii 6. templum ibi fuerat unde Neronianus portus incipiebat, qui tamen Romam verſus extendebatur, eo uſque unde recens ab Innocentio XII. Pontifice Maximo excitatus initium ducit; qui tamen extenditur Neptunium verſus. Ceterum, ruinæ tantarum molium tum in littore tum in mari late viſuntur, quarum hic habes accurate expreſſam imaginem. Ea vero mente atque arte priſci illi Antiates Cenonem ſive Cerionem oppidulum ad mare, atque adeo prope portum ædificaverant, ut ſibi invicem portus oppido, oppidumque portui præſidio eſſent: quod & aliquamdiu fuiſſe, ex eo conſtat, quod Numicius Conſul ad utrumque expugnandum, univerſum ſibi exercitum eodem ducere neceſſarium fore exiſtimavit. Sane Pyrrhus Ligorius 7. teſtis oculatus, qui omnia circa loca diligentiſſime perſcrutatus, monumenta omnia minutiſſime inveſtigavit, 8. portum hunc Latinorum antiquiſſimum prope Neptunium fuiſſe aſſeveravit; conſtructum autem ait inſtar duplicis portus orbiculata figura, plurimarumque navium capacem extitiſſe, ingentibus quoque molibus in altum jactis munitum, magniſque ædificiis omni ex parte exornatum, quæ & ornamento pariter & præſidio eſſent ad naves ab hiemantis pelagi ac procella-

rum

5. *Lib. 15. Metamorphoſ.*

6. *Vid. hujus libri cap. de templis.*

7. v. Antheja, Anthia, & Antiati.

8. *Vid. Suidam, quem refert Ligorius.*

rum injuriis vindicandas, ventosque prohiberent, ex ea præcipue parte quæ Meridiem Austrumque spectat; qui venti toti illi oræ late vehementerque incumbere maxime solent. Addit quoque Ligorius, eum portum constituta loca habuisse quibus naves alligarentur, si quando ab æstu eas vel in portu ipso agitari contigisset. foramina etiam quædam excavata fuisse oblique Austro opposita, unde aquarum vis a ventorum furiis intra sinum portus inducta sese quam facillime exoneraret. Ceterum, ab Numicio Consule navale quidem, oppidulumque Antiatum Cenonem sive Cerionem incensa ac direpta fuisse, non tamen portum, crediderim. Livius enim & 9. Dionysius navale quidem non tamen portum ab eodem direptum fuisse commemorant. Certe anno U. C. CCCCXV. 10. Mænius Consul Antium iterum vi cepit, navesque complures in navalibus Antii succendit, plerasque in navalia Romam abduxit, rostrisque earum æneis ex Senatusconsulto celeberrimum illud suggestum, sive templum, in foro Romano constructum fuit *Rostra* appellatum, unde Oratores causas agerent; quod ab Cicerone præcipue factitatum legimus. Hinc *pro rostris dicere* frequens ac vulgatum. Mos autem dicendi pro rostris ad populum ad Sullana usque tempora Romæ viguit; siquidem a L. Sulla Dictatore sublatus est, 11. interdictumque cuilibet pro rostris dicere. Eumdem tamen morem restituit 12. Palicanus Tribunus plebis. Sunt itaque qui putent, antiquum Antiatum portum hoc anno direptum a C. Mænio, præcipue cum eodem anno mari Antiatibus interdictum fuerit. Verum, aut hoc anno mari Antiatibus interdictum omnino non fuit, aut 13. interdicto audientes Antiates minime fuerunt. Sane post hæc naves seque ipsos prædonibus Tyrrhenis socios Antiates præbuerunt, Græcasque

9. *Locis sup. adductis.*

10. *Liv. l. 8. Plin. l. 34. c. 5.*

11. *Appian. de Bell. Civ. l. 4.*

12. *L Flor. l. 1. c. 11.*

13. *Strabo l. 5.*

que triremes prædati ſunt. de quibus Alexander, ac poſt illum Demetrius e Græcis illos apud Romanos qui accuſarent, legatos Romam miſerunt: imperatumque ab Senatu Antiatibus ut ab hujuſmodi prædis exercendis in poſterum abſtinerent. Paruiſſe autem tunc Antiates, ac navalia & portum pro derelictis habita ex eo ut credam adducor, quod Strabo Tiberii æqualis Antium urbem importuoſam ea ætate fuiſſe commemorat. Priſcum porro Antiatum portum dudum jacentem ac dirutum Neronianus portus excepit. Hujus fundamenta Blondus 14. Tiberio tribuit; immerito ſane, mea quidem ſententia, cum antiqui ſcriptores omnes nullatenus hoc innuerint, conveniatque inter omnes, Neronem totius molis auctorem extitiſſe. Et 15. Suetonius quidem in Nerone, illum Antii portum ſumptuoſiſſimi operis conſtruxiſſe teſtatur. Tacitus 16. quoque ejuſdem Neroniani portus meminit. E recentioribus vero 17. Platina, & Triſtanus in nummo Neroniano, & ceteri hiſtorici communiter referunt, hunc portum a Nerone ædificatum. Quod ille præſtitit huic Coloniæ inter cetera quæ ſupra ſparſim commemoravimus, grati animi ergo, ut patriæ ſuæ, nataeque ſibi filiæ ibidem ex Poppea. Ingentem vero ſupra quam dici poſſit pecuniæ vim ad illum extruendum, ac pæne totum ærarium effudiſſe, ſunt qui teſtantur. talem proinde ac tantum hunc portum evaſiſſe, ut parem nec Græca nec Latina littora uſquam haberent. Ceterum hæc omnia miracula tempus abſumſit; ſi pauca illa rudera excipias quæ hic jam dedimus. Ingreſſus quidem in portum Auſtrum ſpectabat, ut qui maxime ventorum omnium his oris ſolet incumbere, is naves facilius ad portum perduceret. Rudera autem illa quæ adhuc viſuntur lateritio opere illo antiquo, quod & in reliquis Ro-

ma-


14. *In Ital. Illuſtr.*
15. *Cap. 9.*
16. *Lib. 14.*
17. *Platin. in Vita B. Petri.*

manorum ædificiis cernimus, extructa ſunt. Inæqualis latitudinis fuit, nunc majus nunc minus complectens ſpatium; maxima tamen ejus latitudo palmos quinque & quadraginta complectebatur. Longitudo autem dextri lateris Orientem verſus pedum fuit circiter bis mille quingentorum & nonaginta, ſiniſtri vero, eo quod vetuſtate collapſum ſit, longitudo non potuit computari, præſertim cum ovalis figuræ fuerit. Ad extremum utriuſque lateris duæ erant quaſi arces multa mole munitæ, quæ inter ſe quingentorum palmorum latitudine diſtabant. In Occidentali quoque latere ingens adhuc ſupereſt area in nongentos ipſos longitudinis palmos extenſa, eodem opere ac reliqua antiquorum ædificia conſtructa. Eam autem ad hanc uſque ætatem integram perduraſſe, prope miraculo tribui poſſet, niſi æqualis pæne fluctibus cerneretur, eadem quippe ac mare ſita eſt altitudine. Circa oras autem hujus areæ, ea parte qua continenti conjungitur, complures viſuntur ingentes fornices, ad immenſæ molis ſuſtentanda ædificia muniti, quæ navale ſive navalia conſtruxiſſe, non immerito quilibet ſibi perſuaſerit. Ceterum & Neroniano tantæ molis tantique operis portui finis & excidium pæne undique fuit aliquando; ſinuſque intra quem naves ſeſe recipere conſueverant, arena paulatim repleri cœptus eſt, ex eo præcipue quod, cum portus orbicularis ſive ovalis, quæ illi haud admodum eſt abſimilis, figuræ eſſent, (antiquum dico Antiatum & Neronianum) æſtuante pelago, quæ in illos immittebatur aqua arenæ plurimum deportaret, nec inde quoque tanta deinceps aſportaretur, quanta eſſet ingreſſa. Et hæc quidem de Neroniano portu Antii extructo. Supereſt nunc ut aliqua curſim commemorem de portu Innocentiano ibidem excitato,

quamvis enim recens admodum noſtraque ætate extructus fuerit, ac inter Latii Sacri monumenta cum ob auctorem tum ob templum ibidem conditum recenſeri commode poſſit, tamen ut narrationi quam de Antiatum portubus inſtitui, ſummam veluti manum imponam, paucula de ipſo quoque diſſerere non abs re futurum hic judicavi; reliqua, ſi qua memoria digna ſuppetent, in Latio Sacro perſecuturus. Innocentianus itaque portus Antii extructus fuit ab Innocentio XII. Pontifice Summo, ad nautarum naviumque, quæ plurimæ circa eas oras prætervehuntur, perfugium ac tutamentum. Incipit autem ab Orientali latere Neroniani portus extrinſecus Neptunium verſus. Ejus longitudo ab ora maritima uſque ad rectum angulum ſive ſinum, quem ſimul cum vetere Neroniano efformat hic novus, palmorum mille quingentorum ac decem computatur. Latitudo autem utriuſque ſimul palmis circiter novem & ſexaginta diſtenditur, ex quibus quinque & quadraginta ſunt in vetere Neroniano, quatuor autem & viginti reliqui in novo Innocentiano comprehenduntur. Circa ſinum vero ſeu angulum, quem commemoravi, domus publica extructa fuit, illique ſacra ædes adjecta in confluentium nautarum & vectorum commoda. Ea celeberrimo illi Patavino Antonio prodigiorum cum paucis effectori eximio ſacra eſt. Longitudine autem trigintatres ſupra ducentos; atque octo ſimul & viginti latitudinis palmos extenditur. Huic porticus ſatis amplæ atque elegantes adjectæ. Extrema autem novi lateris ora mole quadam parvæ inſtar arcis munita clauditur, eique altera non abſimilis in intimo ſinu ſive angulo cernitur. Denique, ut adverſus æſtuantis pelagi furorem tutior eſſet, faciliuſque fluctuum impetus re-

tun-

Tab. XV.




Sinus Antiqui Portûs Antiatis, quæ adhuc visuntur Ruinæ

A. Initium Antiqui Portûs ſiuè Molium in mare jactarum. B. Area antiqua Portus.

C. Fornices uetusti, per quos ſese aquæductus aquis in mare exonerabant.

Vetusti Portus Antiatis ab Nerone constructi molium, quæ nunc visuntur facies



A. Turris vetustissima ad explorandas pyratarum insidias.

B. Celeberrimi templi Fortunarum Antiatum aliorumque veterum ædificiorum rudera

C. Locus antiqui aquæductus ex quo ad portum aquæ derivabantur.

D. Vestigia solidissimarum molium inmenso opere in altum jactarum ad sinum veteris portûs efficiendum




Tab. XVII.

ARA · TRANQVILLITATIS

ARA · VENTORVM

ARA · NEPTVNI



Arae Antiquae, inquibus Nautae ſacrificabant, ad Veterem Antij Portum repertae



Novi Portus Antiatis ab Innocentio XII. P. M. exædificati Facies.

tunderet, in margine antiqui lateris centum & octoginta palmorum navis ſaxis onuſta altiſſime demerſa eſt.

CAPUT X.

De urbe Satrico Antiatum Colonia.



A fuit olim veteris Antii nobilitas & virtus, ut non modo pro mœnibus, aris ac focis Antiates ſtrenue cum proximis quibuſque, ac præcipue Romanis dimicaverint, ſed etiam imperium in nonnulla oppida quæ circa Antium ſita erant, proferre feliciter auſi fuerint. Colonias itaque deduxerunt & ipſi aliquando, (unde morem hunc deducendarum Coloniarum vetuſtiſſimum fuiſſe & multo ante Romam conditam viguiſſe, plane confirmatur) captaſque urbes in fide, colonis eo ab urbe Antio dimiſſis, ſervaverunt. Principem autem in his locum facile tenuit Satricum urbs haud ita procul ab Antio ſita; de qua quæcumque diligentiſſime undique conquiſita inveniri potuerunt, pauca licet, mox referam, ut, abſoluta rerum omnium quæ ad ipſam urbem Antium pertinerent, narratione, aliqua etiam de ſibi ſubditis oppidis, qui rectus eſt narrationis ordo, ſubtexerem. Satricum itaque urbs fuit Antio proxima, cujus Livius ac Dionyſius meminere, a qua oppidani ac cives Satriani 1. ſive Satricani ſunt appellati. Conditam illam ab Arcadibus multo ante Romæ incunabula, ſunt qui referant. Arcadas ſcilicet ſuis ſedibus pulſos Evandro duce Latii oram maritimam appuliſſe, ac Satrici fundamenta poſuiſſe. Quam narrationem ex eo con-

1. *Reineſ. Vet. Inſcript. claſſ. 1. inſcript. 123. p. 161.*

confirmant, quod antiquissima omnium ædes Matris Matutæ ea fuerit quæ Satrici extructa fuerat; eam autem Arcadum opus fuisse, vetus fama jactabat. Utut res habeat, certe Plinius 2. Satricum celebrem olim fuisse urbem commemorat, siquidem Latinorum Priscorum oppida recensens quæ sua ætate diruta ac plane deleta jacebant, memoriæ prodidit, Satricum urbem antiquissimam Latii, adeoque claram olim extitisse, ut ab exordio Romanæ Reipublicæ, Lucio Annæo teste, sive tandem Annæus hic Seneca fuerit sive Florus, provincia extiterit. Sane Florus 3. ipse hoc narrat. *Sora*, inquit, *quis credat? & Algidum terrori fuerunt, Satricum atque Corniculum provinciæ. De Verulis atque Bovillis, pudet, sed triumphavimus*. Hinc facilis est conjectura, Satricum Albanorum Regum aliquando Coloniam factum, atque ab ipsis Albanis vel primo conditum, vel certe restitutum & auctum.

2. *Plin. l. 3. c. 5.*

3. *Flor. l. 1.*

Illud plane constat, Satricanos Latinis Feriis sive concilio Ferentini ex Latinis 4. indicto interfuisse, cum, Superbo Roma jam pulso, bellum ab Latinis contra Romanos pro eo restituendo decretum est. Tarquinio vero ipso ac Mamilio Tusculano Latini exercitus ducibus a Romanis devictis, Satricani ceterorum Latinorum exemplum secuti, in fœdus Latinos inter & Romanos ictum jurarunt. Ejus autem 5. fœderis leges ærea columna incisas atque in foro post rostra publice collocatas diu perseverasse, memoriæ proditum est. quo tempore Feriæ Latinæ die auctæ sunt; cum enim antea biduo conficerentur, tunc primum triduo celebrari cœptæ sunt. Ceterum cum C. Marcius Coriolanus seditione plebis damnatus perduellionis, ab Antiatibus & Volscis reliquis Imperator in Romanos renuntiatus, oppida quæcumque Romanis fœdera-

4. *Dionys. l. 5. Liv. l. 2. & L. Flor. l. 1. c. 11.*

5. *Dionys. l. 6. Liv. l. 2. Cicero pro Balbo.*

derata expugnare ſtatuiſſet, Satricum quoque 6. ſuæ ditionis fecit, civiumque bona in prædam militibus diviſit. Verum, Coriolano ſublato, Satricani rurſum in Populi Romani poteſtatem devenerunt, donec Roma a Gallis direpta, Hernicis, Latinis, & Volſcis Romanum nomen delere molientibus, Satricani quoque a Romanis defecere, auſique ſunt aliquando congredi cum Camillo. fuſis tamen cum reliquis ſociis a Conſule, Camillus Volſcos, qui mœnibus Satrici ſe receperant, vallo complexus, oppidum operibus tentare cœpit, ingentique militum alacritate muros 7. undique adortus, ſcalis oppidum cepit, prædamque militibus dedit. Ceterum, vertente anno, qui fuit Urbis Conditæ trecenteſimus ſeptuageſimus, largitor voluntarius Senatus factus, Satricum Romanorum Coloniam deduci juſſit, colonorum 8. ad duo millia eodem dimiſſis, qui omnes cives Romani forent. Ægre admodum id latum a Præneſtinis & Volſcis, cum præcipue coloni ſtrenue Romano nomini oppidum ſartum tectumque tutarentur. Satricum itaque infeſto exercitu adorti, vi expugnarunt, fœdamque in captos exercuere victoriam; virtute enim Romanorum colonorum acriori furore incenſi, dirutis paſſim disjectiſque murorum molibus, e captivis plures crucibus ſuſpenderunt, plures immaniter ferro trucidarunt, 9. reliquos omnes abduxerunt; tantaque prædæ libidine acti ſunt, ut neque ædibus ſacris impuras manus abſtinuerint. Præneſtinorum itaque & Volſcorum domandorum M. Camillo, tunc Tribuno militum, extra ordinem partes datæ. Jam vero Præneſtinis a T. Quinctio Dictatore vix domitis, novi coloni ab Senatu Satricum miſſi ſunt; quod Latini maxime improbantes, atque ægerrime ferentes, victos Antiates urbem

6. *Dionyſ. l. 8. Liv. l. 2.*

7. *Liv. l. 6. Plutarch. in Camillo. Frontinus Strateg. l. 2. c. 8. exempl. 4.*

8. *Liv. l. 6. & Panvin. l. 3. de Colon. p. 333.*

9. *Liv. Plutarch. ubi ſup. Val. Max l. 7. c. 3. Oroſ. Paul. Diacon. & alii.*

urbem & agrum Romanis in deditionem dediſſe, Satricum incenderunt, publicas privataſque, ſacras quoque ædes igne abſumentes, uno Matris Matutæ templo ab eorum flammis vindicato, non illo quidem Deorum verecundia, verum terrore compulſi. horren-
10.Liv.l.6. dam 10. ſiquidem vocem ex adytis auditam referunt, quæ triſtia omnia interminaretur, ni ſceleſtos ignes e delubro procul amoviſſent. Incenſum vero oppidum Antiates, ut omnium ferme viciniſſimi erant, reſtituerunt, eodemque Antiatum Coloniam deduxerunt, eademque ad annum U. C. CCCCVII. potiti ſunt. Eo autem anno M. Valerius Corvus ſecundum Conſul in Volſcos miſſus, Satricum infeſto exercitu petens, occurrentes Volſcos prœlio vicit atque intra oppidum fugavit, muroſque corona cingens, admotis
11.Liv. l.7. Pigh. Annal. l. 4. demum ſcalis intra urbem penetravit, eamdemque 11. iterum diruit, incendit iterum, una Matutæ Matris excepta æde. militi præda omnis data. Conſul captivos ad quatuor mille ante currum duxit; quibus divenditis, pecunia in publicum ærarium collata.

Poſt tam ingentes totque acceptas clades Satricum (quis crederet?) rurſum reſtitutum eſt. quandoquidem Caudina pace cum Samnitibus inita anno U. C. CCCCXXXIV. L. Papirius Curſor Conſul tertium, Satricanos, quod ad Samnites defeciſſent, eorum recepiſſent præſidium, ac Fregellas Coloniam incendiſſent, prœlio aggreſſus, trucidato Samnitum præſidio,
12.Liv.l.9. Pigh. Annal. l. 5. 12. quod noctu eruperat, Satricum in deditionem recepit, principibuſque defectionis virgis primum cæſis, mox ſecuri percuſſis, arma oppidanis ademit, præſidioque valido urbem munivit. Bello autem Punico ſecundo, cum e Conſulum edicto triginta Romanorum Coloniæ milites dare imperarentur, Satricanos

13. im-

13. imperata feciſſe accepimus. Anno autem U. C. *13. Liv.*
IϽXLVIII. L. Veturio Philone & Q. Cæcilio Me- *Dec. 3. l. 7.*
tello Coſſ. Satrici templum Matris Matutæ de cælo ta-
ctum, in æde Jovis duos Augures e foribus prolapſos,
ſpicaſque cruentas a meſſoribus viſas, Livius 14. & Ju- *14. Liv. l.*
lius Obſequens memoriæ prodidere. Hinc patet, Sa- *28. Jul. Obſeq. de*
tricum ab excidio, quod M. Valerio Corvino Conſu- *prodig. pag.*
le paſſum fuerat A. U. C. CCCCVII. reſtitutum, *39.*
novamque Coloniam eodem deductam. Funditus ve-
ro tandem everſum fuit Sullanis illis iniquis tempo-
ribus, cum Marianæ factionis eſſet, atque a Sullæ
exercitu ager circumquaque devaſtatus; quæ finitima-
rum omnium urbium ac Coloniarum Norbæ, Coræ,
atque Antii communis clades fuit. Numquam inde re-
ſtitutum uſque ad Plinii 15. ætatem, ejuſdem teſtimo- *15. Plin. l.*
nio compertum eſt; cumque ejus reſtitutionis nullum *3. c. 5.*
apud antiquos ſcriptores veſtigium appareat, illud ſem-
per exinde jacuiſſe, nec amplius excitatum, non im-
merito judicamus. Ceterum, Satricum eo loco ſitum
olim fuiſſe ubi nunc oppidulum quod *Concham* appel-
lant, auctor eſt recens de Veliternis 16. Hiſtoricus *16. Hiſtor.*
agens. Situs eſt autem is locus Antium inter & Veli- *Veliter.*
tras, ibidemque ad noſtram uſque ætatem rudera viden-
tur, diruti oppidi veſtigia haud obſcure indicantia.
Jam vero cum ſupra templi Matris Matutæ, quod
Satrici percelebre fuiſſe memorant, mentio inciderit,
non abs re fore exiſtimavi, ſi de illo ea hic in me-
dium proferrem quæ apud antiquos ſcriptores diſper-
ſa collegi. Fuit itaque Satrici templum Matutæ Matri
dedicatum, ſummæque religionis apud Latinos longe
ante Urbem Conditam: ejuſque mentionem facit Li-
vius ab exordio Romanæ gentis, narrans, quod ante
commemoravi, Latinos ſcilicet ab incendio templi

horrendis vocibus abſterritos, ac Valerium Corvum Conſulem religione permotum idem templum ſartum tectum a furore victorum cuſtodiri mandaſſe. Hanc ædem ab Arcadibus ædificatam apud Satricanos, conſtans fama fuit, eos ſcilicet ad Latinas oras appulſos, ſe ſuoſque Deos Deorumque ſuorum cultum Latio intuliſſe, atque inter cetera alibi extructa, templum Matutæ Matri Satrici a fundamentis excitaſſe. Quamvis enim Ligorius 17. Ciceronem ſecutus, Matutam Matrem eamdem atque Auroram fuiſſe exiſtimaverit, & priſcæ inſcriptionis incertis admodum verbis fretus confirmaverit, ejus tamen ſententiæ adhærere minime poſſumus. Inſcriptio quidem ſic habet:

17. *Verbo* Ludo matutino. *Cicero de Divinatione.*

MATRI MAGNAE MATVTAE
CONSERVATRICI MATVTINI LVDICRI
TITVS TERTIVS T. F. ESQVILINA
PROCVRATOR LVD: MAT: PRISC:
ANN. X SIGN. AENE: REST:

Sane ex hac inſcriptione levis admodum duci conjectura poteſt, Matrem Matutam Auroram fuiſſe, ex eo nempe tantum quod illi Matutini ludi fierent, cum tamen Matutinorum appellationem ludos iſtos non ſolum ex matutino tempore quo celebrarentur, ſed etiam, immo primum, ex nomine Matutæ, in cujus honorem fierent, deduxiſſe, non immerito quivis poſſet exiſtimare. Ceterum Ligorius ſibi ipſe contrarius ſub verbo *Albunea* e ſua ſententia diſceſſit; ait ſiquidem, Sibyllam Tiburtinam Albuneam Leucotheam quoque Græce dictam, a Latinis Priſcis Matris Matutæ nomine nuncupatam fuiſſe. Conſtat itaque, Matrem Matutam mulierum Numen fuiſſe, quam, ut ait Feſtus, antiqui

ob

ob bonitatem ſic appellarunt. Fuit autem Matuta eadem atque Ino Cadmi & Harmonies filia, Athamantis Thebanorum Regis uxor, quam Liberi Patris nutricem dixere. Hanc præ timore cum Melicerta filio de ſcopulo in mare ſeſe præcipitem dediſſe, poetæ fabulati ſunt. Deos autem marinos factos, matremque Leucotheam appellatam, Melicerten vero Palæmona dictum, prodiderunt; quem Latini, quod in ejus tutela portus eſſe credebant, Portunum quoque dixerunt. Non inficior, Matutam etiam Auroram appellatam a Cicerone. Fabulam totam juvat hic repetere ex elegantiſſimis Naſonis verſibus, qui ſic habent: 18.

18. *Ovid. lib. ſexto Faſtor.*

Ite, bonæ matres, (veſtrum Matralia feſtum)
Flavaque Thebanæ reddite liba Deæ.
Pontibus & magno juncta eſt celeberrima Circo
Area, quæ poſito de Bove nomen habet.
Hac ibi luce ferunt Matutæ ſacra parenti
Sceptriferas Servi templa dediſſe manus.
Quæ Dea ſit: quare famulas a limine templi
Arceat, (arcet enim) libaque toſta petat;
Bacche, racemiferos hedera redimite capillos,
(Si domus illa tua eſt) dirige vatis opus.
Arſerat obſequio Semele Jovis. accipit Ino
Te, puer; & ſumma ſedula nutrit ope.
Intumuit Juno, rapta quod pellice natum
Educet. at ſanguis ille ſororis erat.
Hinc agitur furiis Athamas & imagine falſa:
Tuque cadis patria, parve Learche, manu.
Mœſta Learcheas mater tumulaverat umbras,
Et dederat miſeris omnia juſta rogis.
Hæc quoque, funeſtos ut erat laniata capillos,
Proſilit; & cunis te, Melicerta, rapit.

Eſt ſpatio contracta brevi; freta bina repellit,
Unaque pulſatur terra duabus aquis.
Huc venit, inſanis natum complexa lacertis;
Et ſecum e celſo mittit in alta jugo.
Excipit illæſos Panope, centumque ſorores;
Et placido lapſu per ſua regna ferunt.
Nondum Leucothee, nondum puer ille Palæmon
Vorticibus denſi Tibridis ora tenent.
Lucus erat: dubium Semelæ Stimulæne vocetur;
Mænadas Auſonias incoluiſſe ferunt.
Quærit ab his Ino, quæ gens foret. Arcadas eſſe
Audit; & Evandrum ſceptra tenere loci.
Diſſimulata Deam Latias Saturnia Bacchas
Inſtimulat fictis inſidioſa ſonis:
O nimium faciles, o toto pectore captæ!
Non venit hæc veſtris hoſpes amica choris.
Fraude petit; ſacrique parat cognoſcere ritum.
Quo poſſit pœnas pendere, pignus habet.
Vix bene deſierat; complent ululatibus auras
Thyades effuſis per ſua colla comis:
Injiciuntque manus, puerumque avellere pugnant.
Quos ignorat adhuc, invocat illa Deos:
Dique, virique loci, miſeræ ſuccurrite matri.
Clamor Aventini ſaxa propinqua ferit.
Appulerat ripæ vaccas Oetæus Iberas.
Audit; & ad vocem concitus urget iter.
Herculis adventu, quæ vim modo ferre parabant,
Turpia femineæ terga dedere fugæ.
Quid petis hinc, (cognorat enim) matertera Bacchi?
An Numen quod me, te quoque vexat? ait.
Illa docet partim; partim præſentia nati
Continet: & furiis in ſcelus iſſe pudet.

Ru-

Rumor, ut est velox, agitatis pervolat alis:
Estque frequens, Ino, nomen in ore tuum.
Hospita Carmentis fidos intrasse penates
Diceris, & longam deposuisse famem.
Liba sua properata manu Tegeæa sacerdos
Traditur in subito cocta dedisse foco.
Nunc quoque liba juvant festis Matralibus illam.
Rustica sedulitas gratior arte fuit.
Nunc, ait, o vates, venientia fata resigna,
Qua licet: hospitiis hoc, precor, adde meis.
Parva mora est: cælum vates ac Numina sumit;
Fitque sui toto pectore plena Dei.
Vix illam subito posses cognoscere; tanto
Sanctior, & tanto, quam modo, major erat.
Læta canam: gaude defuncta laboribus, Ino,
Dixit; & huic populo prospera semper ades.
Numen eris pelagi: natum quoque pontus habebit.
In nostris aliud sumite nomen aquis.
Leucothee Grajis, Matuta vocabere nostris.
In portus nato jus erit omne tuo.
Quem nos Portunum, tua lingua Palæmona dicet.
Ite, precor, nostris æquus uterque locis.
Annuerat: promissa fides. posuere labores:
Nomina mutarunt. hic Deus, illa Dea est.

Hucusque venustissime Ovidius, cujus totam descripsi fabulam, licet longiusculam illam quidem, quod Matuta apud Priscos Latinos Dea Satriana 19. appellata fuit, quod illi divini honores Satrici primum habiti sint templumque dicatum. quare, ut in loco, ejusdem fabulam afferre non abs re mihi visum est. Ceterum, Arcadum exemplum secutus Servius 20. Tullius Romanorum Rex sextus, Romæ primus Matris Matutæ templum excitavit; quod postea Camillus vetustate pæne col-

19. *Reines. Veter. Inscript. class. 1. inscript. 123.*

20. *Liv. l. 5. & Plutarch. in Camill.*

collapſum reſtituit. Hujus Deæ ſacrorum curandorum provincia feminis demandata erat, ut docet priſcum marmor Coræ effoſſum, in hæc verba: 21.

21. *Gruter. p. 6. & Fabrett. c. 4. pag. 342.*

PAVL: TOVTIA M. F. ET
CONSVPPLICATRICES F.
CERVARIA SP. F. FORTVNATA
MAGISTRA
MATRI MATVTAE
D. D.

Hæ autem ſacerdotes liba toſta Deæ offerebant. feſtumque Matralia dictum, ſive Matrinalia. per hoſce dies mulieres roſis aliiſque floribus, croceis, 22. albis, ac rubicundis temere intextis coronabantur; ſervæ autem ab aditu templi prohibebantur. earum unam dumtaxat 23. ſacris adhibebant, quam alapis colaphiſque probe multabant antequam ſacerdotes Deæ ſacra facerent. Cauſam attulit Naſo: 24.

22. *Ligor. ubi ſupra.*

23. *Plutarch. Quæſt. Roman. qu. 16.*

24. *Ovid. l. 6. Faſtor.*

Cur vetet ancillas accedere, quæritis? odit.
Principiumque odii, ſi ſinat illa, canam.
Una miniſtrarum ſolita eſt, Cadmea, tuarum
Sæpe ſub amplexus conjugis ire tui.
Improbus hanc Athamas furtim dilexit: ab illa
Comperit agricolis ſemina toſta dari.
Ipſa quidem feciſſe negat, ſed fama recepit.
Hoc eſt cur odio ſit tibi ſerva manus.

Conſuevere quoque mulieres 25. in hujus Deæ ſacris, non ſuis, ſed ſororum liberis bona apprecari, adeoque matrum unaquæque ſororis liberos in ulnis complexa, Deam precabatur. quem morem Plutarchus memorat. Tantæ autem religionis hoc templum apud Romanos fuit ob horrendas illas voces quas ex ejus ady-

25. *Plutarch. quæſt. 17. & in Camillo.*

adytis emiſſas ad prohibendum quod Latini inferebant, incendium, ante commemoravi, ut incenſo jam ac diruto iterum ac tertio funditus Satrico, diu tamen templum Matutæ Matris intactum perduraverit. Jam vero præter Matutæ templum, fuit & Satrici ædes ſacra Jovi, 26. & in æde de more ſacellum Junonis & Minervæ. *Juppiter enim*, inquit Firmianus, 27. *ſine contubernio conjugis filiæque coli non ſolet.*

26. *Liv. Decad. 3. l. 8.*
27. *Lactan. l. 1. de falſa religione.*

Ceterum, Satriam ſive Satrienam Gentem, plebejam illam quidem, verum illuſtrem, ab hoc perantiquo Latii oppido & nomen & originem traxiſſe, nullus dubito. Solemne 28. ſiquidem fuit Romanis cum Gentem aliquam undeunde in Reipublicæ partem adſciſcerent, eam de patriæ appellatione nominare.

28. *Reineſ. Panvinius. Urſinus.*

CAPUT XI.

De Aſtura oppido ac flumine in agro olim Antiati ſito.



IN agro qui olim Antii fuit, Aſtura ſita eſt, oppidum quondam in quod Romani aliquando Imperatores diverterunt. Plinius 1. in agro Antiati Aſturam ſitam commemorat; recenſens enim Latii loca circa mare, *Aſtura*, inquit, *flumen & inſula, Nymphæus, Cloſtra Romana* &c. Feſtus 2. autem de flumine quodam *Stora* dicto mentionem facit. Unde Strabonis 3. interpres quidam, Aſturam Plinii eamdem cum Stora Feſti fuiſſe exiſtimavit; quæ tamen ſententia vel ex ſola loci diverſitate in quo fluvius uterque ſitus eſt, ſatis falſa deprehenditur. Ex Plinii autem verbis habes, Aſturam inſulam fuiſſe: Ligorius 4. tamen eam peninſulam in colle poſitam aſſerit, urbemque peramœnam,

1. *Lib. 3. c. 9.*
2. *De verb. ſignif.*
3. *In lib. 5. p. 232.*
4. *v.* Aſtura.

nam, quæ mari & fluminibus alluebatur, ibidemque Latinorum antiquiſſimum portum extitiſſe, populos autem qui eam incolerent, Aſturios nominatos. Ligorio ſuffragatur Stephanus de Urbibus, a quo Aſtyra nominatur. Servius etiam in Æneidos ſeptimum, illam Aſturam oppidum cum fluvio appellat. Straboni autem 5. eadem eſt Stura, fluviuſque fuiſſe dicitur littuſque importuoſum, ac malefida quædam piraticarum navium ſtatio, ſeu potius, Cluverio 6. interprete, appulſus in exiguo ſinu, qui inſulam inter & oſtium fluminis jacet. De Aſturæ autem oppido Suetonius meminit; ait enim, Auguſtum cum iter Beneventum uſque proſecutus eſſet, itinere inchoato 7. Aſturam perrexiſſe; & inde, præter conſuetudinem, de nocte ad occaſionem auræ evectum cauſam valetudinis contraxiſſe ex profluvio alvi. Tiberium quoque 8. ex Campania redeuntem, Aſturæ in languorem incidiſſe, idem Suetonius meminit. Plinius autem, piſciculum, inquit, tenuiſſe navem Caji Caligulæ Principis 9. ab Aſtura Antium remigantis, idque pro maximo auſpicio acceptum, prout docuit eventus; nam Cajus noviſſime tum in Urbem reverſus, ſuorum telis confoſſus fuit. Ex quibus plane conſtat, Aſturæ magnificas ædes extructas, quibus tanti Imperatores magnifice exciperentur, ac rura, ad quæ Romanorum nobiliſſimi animi cauſa diverterent; licet Imperatoribus illis, quos modo commemoravi, Aſturæ propinquitas funeſto ſemper omini fuerit, utpote qui ſinguli haud ita multo poſt quam inde diſceſſiſſent, interierint. Ante hos autem Aſturæ Cicero prædium rus & villam habuit, eoque ſeſe recepit poſt mortem filiæ, & maximam anni partem philoſophiæ ſtudiis vacavit. illius meminit idem Cicero 10. Epiſtola ad Leptam, innuit-

5. *Lib.* 5.

6. *Ital. antiq. l.* 3. *p.* 991.

7. *Sueton. in Octav. Aug. c.* 98.

8. *Id. in Tiberio.*

9. *Lib.* 32. *c.* 1.

10. *Epiſt. famil. l.* 6.

innuitque, prope viam Appiam rus hoc ſuum ſitum fuiſſe, circa quod juxta ipſam Appiam Tulliolam filiam tumulavit, cujus cadaver repertum eſſe creditum eſt ducentis ferme ab hinc annis. ſiquidem circa hunc locum repertum eſt 11. cadaver multo ævo vetuſtum adoleſcentulæ mulieris, facie, capillo, oculis immo & naribus omnino integris & inconſumptis, ſi unguentorum quibus pretioſe delibutum fuerat, veſtigia excipias. nullis tamen literis ſepulcrum notatum, in incerto cujuſnam foret curioſos antiquitatis inveſtigatores reliquit: ex Aſturæ tamen propinquitate, locique ubi Ciceronis amœniſſimum rus fuit, illud non immerito Tulliolæ ejuſdem filiæ cadaver fuiſſe, ab eruditis putatum eſt. Ceterum cum delatum Romam in Capitolium frequens populus admirabundus inviſeret, ac neſcio quid veluti ſacrum veneraturus jam eſſet, ut ad omnem ſuperſtitionem mobilis eſt vulgus, Pontifex Maximus in Tiberim projici juſſit. Ceterum, illud cadaver juxta Appiam prope Circejos effoſſum Tulliolæ Ciceronis filiæ fuiſſe, incolarum circa animis adeo communiter alteque perſuaſum fuit, ut ejus rei & noſtra hac ætate conſtans ac perpetua fama in ea provincia perſeveraverit. In Aſturæ 12. quoque finibus nefas illud nullis non ſæculis deteſtabile perpetratum eſt; Ciceronis dico nefariam cædem. Hic ſiquidem Cicero proſcriptus jam ab Antonio, mare ingreſſus ut ſeſe in tuto collocaret, mutato 13. repente conſilio rus ſuum repetens, a ſicariis Antonii per ſummum ſcelus occiſus eſt. quamvis non deſint qui 14. hoc illi accidiſſe prope Formianum ſuum, memoriæ prodiderint.

Quamvis autem Cluverius 15. putet, villam Ciceronis fuiſſe in ipſa inſula Aſturæ, his Plutarchi verbis

11. *Blond. Leand. Albert. Ital. illuſtr. Alex. ab Alex. Gen. Dier. l. 3. c. 2. in fine.*

12. *Plutarch. in Cicer.*

13. *Idem ibidem.*

14. *Volaterranus.*

15. *L. 3. Italiæ Antiq. p. 991.*

adductus: *Nuntiata proscriptione statuerunt ad Asturæ quod prædium erat Ciceronis maritimum, transire:* & ex aliis Ciceronis ipsius 16. ad Atticum: *Est hic locus amœnus & in mari ipso, qui & Antii & Circejis aspici potest*; nihilominus Ciceronis villam non in insula, verum in continenti ad mare quidem fuisse existimaverim. locus enim insulæ angustus admodum est, & qui vix oppidulo Asturæ satis esset, villæque magnificentissimæ, quales Romanorum erant, minime præterea capax. Ceterum, prope insulam ad hanc diem visuntur rudera ædium antiquarum, quas Ciceronis villæ reliquias recte dixeris. maritimum autem prædium optime, etsi non in insula esset, cum tamen esset juxta mare, Ciceronis rus merito a Plutarcho vocari potuit, & ex eo loco ubi nunc rudera, Circeji atque Antium videri poterant; & e contrario, juxta Ciceronis narrationem. Funestam sane Corradini historiam, quæ multis post Romani Imperii eversionem annis Asturæ contigit, narrare hic prudens omitto; cum illam hujus loci esse, utpote qui in Latio profano atque antiquissimo versamur, minime judicem; & melius cum de Latio Sacro agetur, sit recursura. Asturam quidem Priscorum Romanorum ætate in tutela ac clientela Armeniæ Gentis, Romæ nobilis, fuisse indicat antiquus lapis his notis: 17.

16. *Ep.* 20. *lib.* 12.

17. *Fabrett. Inscript. antiq. pag.* 606.

M. ARMENIO M. F.
ASTVRAE PATRONO VI VIR
FOR. CORNEL.

Ceterum, nunc quoque antiquum constat loco nomen, conveniuntque illo piscatores quamplurimi; villarum tamen atque antiquarum ædium ferme omnium, pau-

Tab. XVIIII.


Muri antiqui pars

Mare

Turris munita Asturæ



Antiquissimarum Ædium uestigia ad Asturam quæ Ciceronis Villæ rudera esse creduntur unâ cum arcis, quæ inibi etiam nunc uisitur figurâ



…igura jactæ molis in altum ad Asturam propè Turrim, quæ vulgo Ba=
lnea Marina nuncupantur.

paucis exceptis quas ſupra commemoravi, etiam periere ruinæ, quæ vis eſt edacis temporis. Si autem etiam Martialis ſua ætate, quæ tanto noſtra propinquior primis illis Cæſaribus fuit, vere tamen ſcribere potuit: 18. 18. *Lib.* 10. *Epigr.* 2.

Marmora Meſſalæ findit caprificus, & audax
Dimidios Criſpi mulio ridet equos;

quid per hæc tempora dicendum, cum etiam de loco, atque utrum vere extiterint, pæne dubitetur?

C A P U T XII.

De Cloſtris Romanis in finibus Antiatum.



POST Aſturam, de qua hactenus, recenſet Plinius 1. Nymphæum & Cloſtra Romana. de his itaque & nos aliqua; & nunc quidem de Cloſtris breviſſime. Cloſtra ſive Clauſtra Romana appellatus eſt locus ab Aſtura mille paſſus Circejos verſus. Sic autem eum locum appellatum, quod Latii veteris limes eſſet, atque ibi Romani fines Imperii clauderentur, Volſcis conterminis, quidam perperam ſunt arbitrati. Certe Latii antiqui limes juxta Dionyſii ac Plinii deſcriptionem, Circejum fuit. Clauſtra itaque ſive Cloſtra iccirco locus hic dictus, 2. quod eſſent clauſtra quædam, obſtacula ſive repagula, ſive aggeres quidam non natura, ſed arte ab Romanis Nymphæi fluminis oſtio oppoſiti contra vim æſtuantis inferni maris, ne alveus fluminis arena oppleretur; quod poſterioribus ſæculis nihilo ſecius contigit, mutato ſub Bonifacio Octavo Pontifice Maximo alveo fluvii, eoque ducto per agrum Setinum, quem Gregorius Tertiuſdecimus ex-

1. *Lib.* 3. *cap.* 9.

2. *Holſten. in Cluv. p.* 1001.

celſo illo animo, atque ad maxima quæque parato, in antiquum curſum revocando reſtituere meditatus eſt. Certat quippe cum mari eo loci Nymphæus amnis, ac proinde Cloſtris debuit vis æſtuantis pelagi cohiberi. quod a Romanis cum factum fuerit, inde loco nomen Cloſtra Romana. Locum hunc cum Aſtura eumdem fuiſſe ſcripſit Pyrrhus Ligorius, 3. perperam mea quidem ſententia. Quamvis enim Baudrandus aliique Geographi ſatis obſcure de his locis loquantur, vera tamen eſt lectio Plinii Cloſtra Romana ab Aſtura diſtinguentis, ut vere diſtincta ſunt. Eorumdem ab Aſtura diſcrimen cognovit, notavitque incertus auctor 4. Geographiæ Ravennas, qui bis Cloſtra ab Aſtura diſtincta recenſens: *Terracina*, inquit, *Turris Cercellis*, *Turres Albas*, *Cloſtris*, *Aſturam*, *Antium*. Pyrrhus etiam Ligorius 5. idem ſibi parum conſtans, alio loco Aſturam & Cloſtra tamquam diverſa loca commemorat, aitque, tam Aſturæ quam Cloſtris olim portum fuiſſe. Nymphæus autem fluvius, in cujus gratiam Cloſtra Romana extructa fuiſſe diximus, octodecim mille paſſibus procul a Cloſtris exoritur, fuitque profanis Latinis maxime venerabilis tum propter prodigia quæ in eo fieri jactabant, tum propter Nymphis dicatum templum; a quo & fluvius nomen accepiſſe dicitur. Fuit etiam Nympharum urbs in ruinis exciſæ Norbæ excitata. Verum quia in agro Norbano hæc omnia ſita antiquitus fuerunt, eorum narrationem ac peculiarem hiſtoriam ſequenti libro, utpote in loco, perſequemur. Hæc igitur veteris Antii Antiatiſque agri monumenta fuerunt, quæ hactenus commemoravi, atque illa quidem quæ ad Latium Profanum, quod modo illuſtramus, ſpectabant. Ceterum, quæcumque poſterioribus ſæculis, ſacris ſcilicet, memo-

3. *v.* Aſtura.

4. *Anonym. Ravennas Geograph. l.*4. *p.* 210. & *l.* 5. *pag.* 254.


5. *v.* Lito Latino.

moratu digna invenientur, ea cum de Latio Sacro ſermo erit, fuſe deſcribemus; ubi & de ipſius urbis Antiatis excidio, & de Neptunio oppido opportunius agetur; quæ duo in noſtra hac hiſtoria nonnullis fortaſſe deſiderari videbantur. Nunc autem ad Norbanos, alteram celebrem illam quoque Romanorum Coloniam, gradum faciamus.

FINIS LIBRI QUARTI.



VE-



VETUS LATIUM PROFANUM

LIBER QUINTUS

DE NORBANIS.

AUCTORE

JOSEPHO ROCCO VULPIO

SOC. JESU SACERDOTE.

CAPUT I.

De Norbæ conditoribus.

AB Antiatibus, de quibus hactenus, ad Norbanos, eorum prope conterminos, illuſtrandos gradum facimus. Fuit itaque Norba Latinorum urbs vetuſtiſſima in monte Pomptinos agros deſpectante, inter Aſturam & Nymphæum amnes collocata, haud ita procul ab oppido quod, ex ipſa nomen mutuatum, *Norma* hodie dicitur. Urbem munitiſſimam loci natura efficiebat atque amœniſſimam; quod oppidis in montibus mare ſpectantibus poſitis plerumque uſuvenit.

I.

1. Casel. de antiq. Ital. colonis pag. 47.

1. Ejus conditorem Herculem fuiſſe, vetuſta ac conſtans apud Norbanos fama vulgaverat. Illum nempe ex Hiſpania revertentem maritimas, poſt reliquum Italiæ peragratum, Latii, Campaniæque oras tenuiſſe, ibique, inter cetera fortiter ac præclare geſta, communi incolarum bono Norbam urbem munitiſſimam in monte condidiſſe, ad latrones, qui maxime per ea tempora ac loca graſſabantur, coercendos. Huic enim maxime ſtuduiſſe Heroes illi ac Semidei fabuloſæ antiquitatis, Caſtores, Liber Pater, Hercules, Quirinus, aliique crediti ſunt; ut ſcilicet rudes quam maxime homines, ac belluino more viventes humanis moribus informarent. Siquidem: 2.

2. Horat. Sat. 3. l. 1.

Cum prorepſerunt primis animalia terris,
Mutum & turpe pecus, glandem atque cubilia propter
Certabant pugnis, dein fuſtibus, atque ita porro
Pugnabant armis quæ poſt fabricaverat uſus.

Hinc & Mercurius laudatur, quod *feros cultus hominum recentum Voce formavit catus, & decoræ more palæſtræ*; & Orpheus creditus *ob hoc mollire tigres, & ducere ſaxa*; & Amphion lyræ cantu lapides quibus Thebarum mœnia ædificarentur, moviſſe; homines ſcilicet lapidum inſtar rudes & impolitos, & qui de Pyrrhæ lapidibus exorti *documenta dabant, qua forent origine nati*. Certe Horatius Heroum hujuſmodi ingentia facta elegantiſſime deſcripſit his verſibus: 3.

3. Horat. Epiſt. 1. l. 2.

Romulus, & Liber Pater, & cum Caſtore Pollux
Poſt ingentia facta, Deorum in templa recepti,
Dum terras hominumque colunt genus, aſpera bella
Componunt, agros adſignant, oppida condunt,
Ploravere ſuis non reſpondere favorem
Speratum meritis.

En

En, ut inter præcipua Heroum ſtudia oppida condere annumeravit. Illiſque quos nominavit (quod e re noſtra maxime eſt) Herculem continuo adjungit, utpote quem maxime in adſignandis agris, bellis componendis, hominibus informandis, ac, quod præcipuum eſt, oppidis per Italiam condendis maxime ſtuduiſſe, ex pervetuſta fama accepiſſet. Subdit enim:

diram qui contudit hydram,
Notaque fatali portenta labore ſubegit,
Comperit invidiam ſupremo fine domari.

Fuit ſiquidem Herculis ex Hiſpania redeuntis per Italiam iter non illud quidem otioſum, ac veluti tantummodo tranſeuntis, verum multis præclariſque geſtis ad aliquod tempus illuſtre, ut late Dionyſius memorat. 4. Norbani itaque illum urbis ſuæ conditorem aſſerebant; quam pervetuſtam civium ſuorum famam ſecutus C. Norbanus Baſſus, ſive Balbus, qui cum L. Scipione Aſiatico Romæ Conſulatum geſſit, Herculem victorem totque de victis hoſtibus triumphantem in nummis exprimi voluit, ut videre eſt in eo quem Ligorius 5. affert. Huic ſententiæ, ſive potius incertæ famæ illud quoque nonnihil fidei ac roboris addere videtur, quod e ruderibus antiquæ urbis, quæ multa tot etiam poſt ſæcula in montis cacumine ſuperfuerunt, quadrato lapide ædificata, duæ Herculis parvæ effigies effoſſæ ſunt cum clava & leonis exuviis ac titulo:

4. *Dionyſ. l. 1.*

5. *Ligor. lib. de Famil. Roman.*

HERC. VICTORI
S.

Ceterum huic opinioni ſcriptores ferme omnes antiqui adverſati ſunt. Solinus ſiquidem, Pomponius Mela, atque auctor libri qui de origine Gentis Romanæ

Dd inſcri-

inſcribitur, Norbam inter Albanorum Colonias deſcribunt. 6. Et Plinius Norbanos inter antiquos ac præcipuos Latii populos ſua ætate deletos recenſet. 7. Livius etiam, Sigonius, ceterique fere omnes qui de Norbanis aliquando mentionem fecerint, eos Albanorum Regum colonos, aut certe aliis Latinis Regibus vetuſtiſſimis ſubditos fuiſſe commemorant; & carnem in monte Albano una cum ceteris Latinis populis (quod Latini nominis præcipuum ac veluti inſigne habebatur) accipere Norbanos conſueviſſe, teſtantur. Ab exordio proinde Romanæ Reipublicæ, pulſo Tarquinio Superbo, inter Latinos populos, qui ad lucum Ferentini congregati bellum Romanis ad reſtituendum Tarquinium, auctore Mamilio Tuſculano, indixerunt, 8. a Livio, Dionyſio, & Floro etiam Norbani populi numerantur. Ceterum, Setinorum propinquitas, qui pariter Herculem ſuæ urbis conditorem fuiſſe profitebantur, Norbanis ſuum quoque conditorem eumdem aſſerentibus fidem facere aliquam poſſet, ni Setinorum ac Norbanorum diſpar omnino fundamentum eſſet. Setinis ſiquidem inter cetera effoſſus lapis cum inſcriptione: 9.

6. *Plin. l.* 3. *cap.* 5.
7. *Liv. l.* 1. & 2.
8. *Liv. l.* 2. *Dionyſ. l.* 5. *Flor. l.* 1. *c.* 11.
9. *Corrad. l.* 2. *Vet. Lat. c.* 1.

HERCVLI FVNDATORI COLONIAE

pondus ac robur maximum addebat; Norbanis vero haud ita. Neque enim parva illa duo Herculis effoſſa ſigna, quæ nuper commemoravi, Herculem continuo Norbæ conditorem oſtendunt, cum in plurimis Italiæ, atque adeo Latii præcipue, urbibus Hercules templa, nedum ſigna haberet, ſummaque ſuperſtitione, quam illi homines religionem appellabant, coleretur, quin tamen illum eæ urbes pro ſuo conditore jactarent. Nummus autem C. Norbani quem refert Ligorius,

tan-

tanti non eſt, ut ex ipſo originem ab Hercule Norbam; atque exinde Norbanam Gentem duxiſſe confirmemus 10. Afferam ſiquidem mox, ubi de Norbana Gente mentionem faciam, Norbanorum nummos, in quibus & Veneris & Cybeles imagines inſculptæ ſunt, quin iccirco vel ad Venerem, vel ad Cybelem Norbanorum ſtirpem, vel urbem tamquam ad auctores referendam cenſeam; quod etiam nemo umquam dixit. Illud itaque in præſens ſtatui poſſe videtur de Norbæ conditoribus, eos vel Aborigines, vel Pelaſgos, vel certe alios ex antiquiſſimis illis populis qui Latium primi omnium incoluere, fuiſſe. Divinum ſiquidem agere potius, quam hiſtoricum merito videar, ſi in re vetuſtiſſima, eaque ferme nullis auctorum monumentis ſuffulta, certi aliquid, ex tripode veluti, ſtatuere ac decernere vellem, cui omnes fidem continuo, eo quod *ipſe dixerim*, præſtituri eſſent. Boni itaque conſule quiſquis hæc legeris, qualemcumque hunc in obſcuris adeo monumentis detegendis eaque qua licet, luce illuſtrandis, laborem adhibitum; nam *Eſt quiddam prodire tenus, ſi non datur ultra*. quæ autem ſub Romanis Norbæ rerum ſeries ac fortuna fuerit, quale denique excidium, mox recenſebo.

10. *Cap. 5. hujus lib.*



CAPUT II.

De Norbana Romanorum Colonia.


VÆ Norbanis acciderint, quisve eorum urbis ac Reipublicæ status fuerit, nil prorsus apud veteres historicos, quorum monumenta supersunt, memoriæ proditum legimus ad id usque tempus quo Norba Romanorum Colonia facta. Paruisse proinde Norbanos Albanis Regibus crediderim per ea tempora, domique ac foris per cives suos, Albanis tamen subditos, pacifice Rempublicam administrasse. 1. Anno autem post Romam Conditam sexagesimo secundo supra ducentesimum, cum magna annonæ caritas Romæ desæviret, nec frumenta a finitimis Romani vel sua pecunia possent impetrare, in Siciliam usque frumentatores mittere coacti sunt. Quamvis enim finitimi Etrusci frumenti nonnihil divenditum Romam asportari dextro littore permisissent, omnis tamen Latinorum ac Volscorum ora maritima, eaque præcipue quæ Pomptinum incoleret, Romano nomini maxime infensa frumentationem omnino prohibuit. Hinc Romani acerrimi Volscorum odii in se magnitudinem dimetiti, novis rebus occurrere decreverunt, ac proinde & Velitris, quo jampridem Colonia deducta fuerat, auxere numerum colonorum Romanorum, & Norbæ in montes novam Coloniam, quæ arx in Pomptino est, miserunt, T. Geganio & P. Minutio Consulibus. Hæc itaque Romanis Norbam deducendæ Coloniæ occasio fuit, ut nempe arce illa quæ jam in Pomptino constructa fuerat, Romanorum co-

1. Liv. l. 2. Dionys. l. 7.

lonorum præsidio munita, Latinorum ac Volscorum impetus cohiberent, novasque res molientes finitimos populos atque ex aliis alias cientes turbas præsentissimo occursu sedarent. nec eos sua fefellit opinio. Fuit siquidem hæc Colonia Romanis cum paucis fidelis, adeo ut etiam finitimorum odia iccirco in se non semel concitaret. 2. Cajo enim Martio Rutilio, & Q. Servilio Coss. post ingentem in Romano exercitu excitatam, atque per Valerium Corvinum sopitam militum seditionem, arreptaque Samnitici belli, in quod distrahebantur Romani, occasione, cum aliquot sociales populi ab Romanis defecissent, e Latinis præcipue, quorum jamdiu fœdus infidum, Norbana Colonia mansit in fide. quam simul & Setinam eam ob causam finitimi Privernates incursione subita depopulati sunt. Sequenti tamen anno, C. Plautio secundum, & L. Æmilio Mamerco Consulibus, cum Setini & Norbani Romam nuntii defectionis Privernatium cum querimoniis acceptæ cladis venissent, Plautius, cui sorte obtigit, Priverno haud difficili negotio capto, Setinorum Norbanorumque ultionem suscepit, & Privernatibus præsidio valido imposito, duas agri partes ademit. Decem tamen ab hinc annis, L. Papyrio Crasso iterum & L. Plautio Venocti Consulibus, Norbani rursus a Privernatibus vexati sunt; eo siquidem anno Privernas bellum initum, cujus socii Fundani, dux etiam Fundanus fuit Vitruvius Vaccus, vir non domi solum, sed etiam Romæ clarus. 3. *Adversus hunc*, inquit Livius, *vastantem effuse Setinum, Norbanumque, et Coranum agrum L. Papyrius profectus*. 4. Post Cannensem vero illam nullis non sæculis, nullis non linguis celeberrimam ab Romanis acceptam cladem, cum pro aris jam & focis Romæ dimicandum esset, & Hannibal

2. Liv. Decad. 1. l. 7.

3. Liv. l. 8. Decad. 1.

4. Liv. Decad. 3. l. 7.

ad

ad portas urbis victore exercitu jam jam affuturus esset, Norbanorum inter ceteros ea fuit fides, ut illis Romanum tunc Imperium stetisse magna ex parte tributum fuerit. Cum enim Romani Coloniis militem & pecuniam tam difficili tempore imperassent, duodecim Coloniæ imperata facere detrectaverunt; Norbani autem cum reliquis quos Livius recenset, non modo imperata continuo fecere, verum etiam se suaque omnia ad Romanorum sustentandum Imperium in discrimen adducturos, singulari quodam robore ac fide responderunt. gratiæ proinde illis ab Senatu actæ. Verum juvat rem totam Livii ipsius verbis hic ob oculos ponere. De Coloniis siquidem mandata facere detrectantibus hæc habet: *Cum obstinatos eos viderent Consules, rem ad Senatum detulerunt; ubi tantus pavor animis hominum est injectus, ut magna pars actum de Imperio diceret. Idem alias Colonias facturas, idem socios consensisse omnes ad prodendam Hannibali Urbem.* De Coloniis autem quæ in fide manserunt, & quarum auxilio stetit Imperium Romanum, quas inter Norbæ secundum locum tribuit, *Pro duodeviginti Coloniis*, inquit, *M. Sestilius Fregellanus respondit, & milites ex formula paratos esse, & si pluribus opus esset, plures daturos, & quidquid aliud imperaret, velletque Populus Romanus, enixe facturos; ad id sibi neque opes deesse: animum etiam superesse. Consules sibi parum videri præfati pro merito eorum sua voce collaudari eos, nisi universi Patres in curia gratias egissent, sequi in Senatum jusserunt. Senatus quam poterat honoratissimo decreto allocutus eos, mandat Consulibus, ut ad populum quoque eos producerent, & inter multa alia præclara quæ ipsis majoribusque suis præstitissent, recens etiam meritum eorum in Rempublicam commemorarent. Ne nunc quidem post tot sæcula sileantur fraudenturve laude sua; Signini fuere, & Norbani, Satriculanique,*

que, & Brundusini, & Fregellani, & Lucerini, & Venusini, & Adriani, & Firmani, & Ariminenses; & ab altero mari Pontiani, & Pæstani, & Cossani; & mediterranei Beneventani, & Æsernini, & Spoletini, & Placentini, & Cremonenses. Harum Coloniarum subsidio tum Imperium Romani Populi stetit. iisque gratiæ & in Senatu & apud Populum actæ. Hoc testimonio, quo licet longiusculo recitando, quod esset luculentissimum, & Norbanis gloriosissimum, me operæ pretium facturum existimavi, aperte colligitur, quanta esset Norbanorum virtus, quanta in Romanos fides, quantæ opes, quæ ad opportunum in difficillimis & arctissimis rebus auxilium non deessent: quantus denique iis a Populo Romano universo honos habitus, & quam illustres majores eorum fuissent, in quos semper Populus Romanus tot præclara decora contulisset. Recitandum denique fuit testimonium, ne si nunc silerentur, fraudarentur laude sua, quam nulla umquam poterit sæculorum series obliterare. Ceterum, Norbanos rem naviter ac strenue gessisse, neque solis pollicitationibus ac inanibus verbis robur jactasse, vel illud maxime argumento fuit, quod, cum a Carthaginiensibus Romani obsides accepissent, eos Norbanis cum Prænestinis simul atque Setinis servandos in custodiam tradiderunt. Licet deinde petentibus Carthaginiensibus, qui non reddebantur, obsides, ut a Norba ubi parum commode essent, alio traducerentur, concessum fuerit ut Signiam & Ferentinum transirent. 5. Forte enim apud alios quosque, quam apud Norbanos custoditis Carthaginiensibus obsidibus spes evadendi facilius fuit. Tanta vel in hostium animis fidei Norbanorum erga Romanos opinio insederat! Stetit autem hæc Romano nomini fidissima Colonia, donec civiles seditiones & civilia bella Romanam 5. Liv. ibid.

nam

nam ipsam Rempublicam gravissimis vulneribus affectam in interitum prope traxerunt. Sullanas & Marianas illas factiones dico, quæ tantum Reipublicæ periculorum ac cladium creaverunt. Harum impetum non modo Romanorum civium nobilissimi ac præstantissimi, verum etiam fœderatarum civitatum ac Coloniarum florentissimæ ad extremam ruinam deletæ sunt.

6. Flor. l. 3. Talis itaque & Norbanæ Coloniæ exitus fuit. 6. Cum enim Marianis partibus enixe admodum atque impense faveret, utpote quas justas magis atque e Republica, quamvis minus felices esse duceret, a Sullanis necem maluit, quam imperium subire; & sua omnia in ultimum potius discrimen adducere, quam semel Mario datam fidem mutare, aut vel tantillum quidem imminuere, gloriosius fore existimavit. Cedentibus itaque hinc illinc quamplurimis urbibus ac Coloniis victori Sullæ, nec ejus impetus sustinere valentibus, Norba nihilominus resistebat totis viribus, quas ingentes & loci natura, (in montibus quippe sita erat, & arce munitissima custodita) & civium animi generosissimi suppeditabant. At quæ hostem adeo egregie sustinebat, proditorem cavere non potuit. Cum enim ab Æmilio Lepido Sullani exercitus duce corona arctissime obsideretur, is intempesta nocte intra mœnia ab occultis proditoribus est admissus. quod ubi generosi Norbani sensere, ne in hostium potestatem vel a suis proditi devenirent, mortem potius oppetere gloriosam, quæ eorum erat opinio, quam turpiter hostibus deservire, elegerunt. 7. Indignabundi itaque, pars suamet manu, pars mutuis vulneribus ceciderunt; alii præfocarunt se laqueis, aut obturatis foribus ignem tectis subdiderunt, quorum conatus fortuitus ventus adjuvit. Itaque præda omnis absumta in-

7. Appian. Bell. Civil. l. 1.

incendio, & Norbani a ſemetipſis magis, quam ab hoſte internecione deleti. Ex tam forti exitu quem habuere, quemque ſibi fecere Norbani, eorumdem quivis generoſa & ferocia ingenia plane dignoſcat; virtutemque illam Latinorum, a quibus Romani & agere & pati fortia didicerunt, in iis facile deprehendat. Ceterum, jacuiſſe quidem hanc urbem multo tempore, compertum eſt. Plinius ſiquidem Norbanos inter Latinorum populos, qui ſua ætate omnino deleti erant, annumeravit. 8. Et quamquam apud Pyrrhum Ligorium inſcriptiones duæ legantur in quibus Sæconiæ Gentis Norbanæ, quæ ſub Nerone floruit, fit mentio; id tamen Norbam iccirco tunc temporis reſtitutam fuiſſe, non evincit. Potuit ſiquidem Sæconia Gens Norbanam ſeſe inſcribere, quod primam a Norbanis Sæconiis, qui a Norbæ excidio Romam ſe contuliſſent, originem ducere, ſibi glorioſum exiſtimaret. Quemadmodum, Alba Longa olim diruta, Albaniſque Romam civibus deportatis, eorum aliquis in patriæ memoriam Albanum adhuc ſeſe nominare, ac paſſim inſcribere forte maluit, quam Romanum; quin iccirco ex hujuſmodi inſcriptione Albam Longam jam reſtitutam fuiſſe, dicere compellamur. Poſterioribus quidem ſæculis Norbam reſtitutam accepimus. Anno namque reparati orbis ſexageſimo tertio ſupra nongenteſimum, Joannem quemdam Normenſem Antiſtitem Romano Concilio (quod tamen legitimum minime fuit) inter ceteros ſacros Antiſtites adfuiſſe, legimus. quod plane Norbam urbem iterum reſtitutam fuiſſe, argumento eſt. Neque vero acute quis dixerit, Normenſem illum Antiſtitem oppido quod nunc vulgo *Norma* dicitur, præfuiſſe; numquam proinde Norbam illam antiquam a ſuis ruinis Sullanis excitatam. con-

8. *Ligor. v.* Sæconia.

ſtat enim, Norbam illam cui Joannes qui Romano illi illegitimo Concilio interfuit, præpoſitus erat Antiſtes, exciſam rurſus fuiſſe, ac Normenſis Antiſtitis ſedem ad proximam urbem Nympham eapropter tranſlatam. Hujus namque translationis cauſam, Norbanæ urbis excidium fuiſſe, in ſacris monumentis ac faſtis, memoriæ proditum eſt. Diruta denique ipſa etiam urbe Nympha, Normam recens oppidum prope antiquam urbem Norbam ædificatum cives incoluerunt. De his autem fuſius agemus, cum de Latio Sacro hiſtoriam, Deo dante, conſcribemus; ibi enim, utpote in loco, ea quæ nunc tantummodo attigimus, & curſim commemoravimus, veterum ſcriptorum teſtimoniis roborata deſcribemus. Viſuntur adhuc tot poſt evoluta ſæcula rudera bene multa eaque vetuſtiſſima exciſæ Norbæ, primæ ne an ſecundæ, incertum. mutæ ſiquidem illæ ruinæ ac informes nil omnino lucis ad id dignoſcendum viſenti impertiunt. Locus eſt inter has ruinas qui intra pomœrium antiquæ urbis comprehenſus fuiſſe videtur, in quo alta admodum caverna deſpicitur, quo Norbanos illos colonos ab Æmilio Lepido Sullanæ factionis captos pretioſa quæque projeciſſe, ne in hoſtium manus venirent, vulgata eſt fama, ad noſtra uſque tempora derivata. Ajunt ſiquidem Norbani recentis oppidi incolæ, ingentes ibi theſauros defoſſos latere, verum tam alte terra depreſſos, ut nulli adhuc hominum illos eruere fas fuerit, eamque potiſſimum rei cauſam addunt, quod a malis Geniis, qui illis potiti ſint, cuſtodiantur, nec detegi permittantur. cui opinioni ut fidem aſtruant, quoſdam opus aggreſſos inde male multatos occulta quadam vi ab inceptis ceſſare coactos fuiſſe, confirmant. De hoc quid certi ſtatuam minime habeo,

cum

Tab. XXI



*Antiquæ Urbis Norbæ Romanorum Co=
loniæ fortissimæ quæ adhuc extant mœnia prout
in orientem aspicientibus uisuntur, quæ in pla=
nitie uerticis montis Norbani bis mille passu=
um circuitum conficiunt, paludibusque Pompti=
nis imminent. sunt autem ex secto et quadrato
lapide ædificata, unde Urbis amplitudinem quon=
dam et magnificentiam licet dimetiri*

Ingentis fornicis seu cauernæ pars in occasum uergens in media ferme antiqua Urbe Norbana ad hanc diem superstes, intra quam orbiculati Templi uestigia extant.

Templi eiusdem ruderum facies prout cauernam intrantibus apparet, cuius area palmos Romanos quinque et uiginti extenditur.

cum nulla ferme non ſint loca paulo vetuſtiora, & in quibus rudera, ubi pecuniæ ac divitiarum ſacra fames theſaurum eſſe ſibi non perſuadeat; quod vagis præcipue ac pauperrimis altius etiam animo inſedit. Quamvis re vera pretioſa multa ſub terris latitare nemo inficias eat, cum tot effoſſa pretioſæ antiquitatis monumenta Regum ac principum virorum magnificas ædes exornent.

CAPUT III.

De vetuſtis in agro Norbano ædificiis.



QUI recentem admodum, ac ſuæ ferme ætatis hiſtoriam deſcribunt, ii certe periculoſæ plenum opus aleæ tractant, & incedunt ſæpenumero per ignes ſuppoſitos cineri doloſo; cum enim res illis ſint deſcribendæ quæ in omnium pæne oculis adhuc verſantur, qua tandem cautela, qua prudentia, qua rerum illis inveſtigatione eſt utendum, ut vera omnino deſcribant, ne incertis rumoribus fidentes objurgatorem quemlibet de populo habeant, qui illos ſin minus mendacii, inſcitiæ certe ſuggillet? Adde his viventium adhuc hominum adverſas factiones, quæ res prout acciderint, deſcribere eos, minime patiuntur, quæque ne ſibi quid dedecoris aut minus glorioſi appingatur, aut falſam, aut certe mutilam ac mancam hiſtoriam eoſdem poſterorum memoriæ mandare compellunt. Ab his incommodis longe abſunt veteris hiſtoriæ ſcriptores; verum in his leviora haud multo incommoda eos incidere neceſſe eſt. Vetuſtatem ipſam dico, rerumque oblivionem. quam enim a monumentis, ab ſcriptori-

bus, ab reliquis denique teſtimoniis, quibus lux hiſtoriæ affulget, ſæpenumero deſtituuntur! Improbo ſæpius labore, ingentique temporis jactura diſtenti vix unum aut alterum, nec illa quidem magni momenti, teſtimonium colligunt; quodque eorum infelicitatis eſt caput, eorumdem labores hujuſmodi ab otioſis ſcitulíſque hominibus deridentur interdum ac flocci fiunt, cum poſt tantam antiquitati navatam operam, nil tandem præter mutilas quaſdam inſcriptiones, ac exeſa marmorum rudera in lucem proferunt. Sapientes tamen rerum æſtimatores haud ita. verum & rude antiqui lapidis fruſtum, & ex illo erutam veteris hiſtoriæ notitiam maximi faciunt, recte intelligentes, ea maxime omnium certa eſſe teſtimonia quæ ex antiquis nobis inſcriptionibus & lapidibus ac ruderibus ſæpe & ſæpius proveniunt, & in antiquitatis monumentis detegendis vel illum qui ſubobſcuram quoque lucem addiderit, ſummis laudibus eſſe donandum. Hæc non abs re præfatus ſum, antiqua Norbanorum ædificia memoraturus. Siquidem poſt diuturnam, nec illam quidem levi labore peractam, inveſtigationem, vix tandem unum aut alterum quod de illis commemorarem, invenire potui. Villas aliquot in agro Norbano extructas olim a Romanis fuiſſe peramœno loco allectis, terminales quidam eruti lapides docent. Ac primo quidem Octaviæ Gentis Velitris ortæ villam fuiſſe in agro Norbano, indicat terminus effoſſus in eodem agro juxta locum qui nunc *l'Abbadia* dicitur. in eo namque legitur hæc inſcriptio:

TER. AGR. CN. OCTAV.

Porro hunc Octavium eum fuiſſe crediderim, qui anno U. C. IↃCLXVI. cum L. Cornelio Cinna Conſul eſt fa-

factus, dum Sullanæ & Marianæ factiones maxime desævirent. Quamquam autem ex hoc lapide Gentem Octaviam agrum tantummodo in Norbano, non autem expresse villam habuisse doceamur, veri tamen simillimum est, eamdem & villam ibidem habuisse; vix enim Romanos usquam agrum, spatiosum præcipue ac copiosum sine villa habuisse, compertum est. Verum de hac villa nil omnino aliud vel hic addendum habemus. Prope amnem quoque Nymphæum Appiam versus, villam fuisse Caji Scribonii Curionis, ingentia quæ ibidem videntur rudera, plane testantur, & eodem loco repertus lapis terminalis cum notis:

AG: PRIV: C. CVRION.

aperte confirmat. Is autem forte fuit C. ille Scribonius Curio, qui U. C. anno DCLXXVII. cum Cn. Octavio Consul fuit. In finibus etiam Norbani agri prope Cisternam rus fuit & monumentum Herminiæ Gentis, quod ibidem sepulcralis effossus lapis testatur his verbis: 1.

1. *Ligor. v.* Herminia.

D. M. SAC.
L. HERMINIVS L. F. QVIR. GALLVS
MILES LEGION. VII CLAVDIAE
AEDICVLAM HEROIC. GEN.
SVPR. MONVM. AEDIFICAVIT ET ADSIGNAV:
SIBI ET SVIS HAERED:
ITEM HERMINIAE ANNIAE MATRI
ET L. HERMIN. PRISC. PATRI
MARM: SARCOPHAGVM
POSVIT.

Sed Norbana potissimum Gens in agro Norbano prædia habuit, & villas, utpote quæ a majoribus illas in

agro

agro paterno ſitas hæreditate acceperat. Certe monumenti lapis in Nymphæo repertus, Norbanorum in his locis ſepulcra fuiſſe oſtendit. in eo autem hæc legimus:

D. M.
NORBANAE TYCHE
VIXIT ANN. LXXX H. S. E.
FECERVNT
C. NORBANVS FELIX L. PATRONAE
BENEMERENTI DE SE ET
M. CAMILIVS AGATHOPVS
TVTOR EIVS

2. *Cap. 8. Inſcript. pag. 560.*

Hunc lapidem refert Fabrettus; 2. locum tamen unde effoſſus eſt, non commemorat. Verum in ſchedis quibuſdam Vaticanis illum in Nymphæo agro, qui Norbani antiqui pars fuit, repertum fuiſſe cognovimus; quod etiam inſcriptionis exemplar in ædibus Sancti Bernardi aſſervatum ſupra Nymphæum, aperte confirmat. De villis autem, ſeu ſaltem villa Norbanæ Gentis ibidem extructa, nemo dubitaverit, qui notiſſimum illum antiquorum morem in prædiis juxta viam publicam conſtruendi ſepulcra in memoriam revocaverit, quod jam juſto ſæpius repetere tædet. Præter has villas, quarum tenuis hæc quam attulimus, ad nos memoria pervenit, & alias bene multas in Norbano extructas fuiſſe, rudera quamplurima longo tractu undequaque ſquallentia ſatis oſtendunt. at cum dominis & dominorum nomina, & eorumdem memoriam omnem tam longinqui temporis ætas omnino delevit; de ædificiis quoque urbanis, quod addam, eſt ferme nihil. Viſuntur quidem in monte Norbano, ubi olim Norba, ingentes ædificiorum ruinæ ac reliquiæ,

eæque

eæque ad tria ferrē milliaria protenduntur, ingentes nempe fornices arcuſque magnæ molis, altiſſime depreſſæ cavernæ & effoſſi putei, murique ducti longo tractu; verum cum muta omnia, nec ulla literarum luce munita ſint, mutum quoque ſcriptorem faciunt, ne ſi tot inter tenebras palpare cœperit, in altam merito mendacii foveam decidat præceps. Ceterum templa præcipue Deorum Norbæ fuiſſe, Coloniæ vetuſtas, nobilitas, ac frequentia facile perſuadet. Herculis in primis; quod duæ illæ Herculeæ effigies ex his ruinis effoſſæ, quas ſuperius commemoravi, ſatis oſtendunt; quod etiam ampliſſimum fuiſſe, ingens vis ruderum circa locum ubi ſigna illa effoſſa ſunt, teſtatur. Eorum autem Numinum templa Norbæ fuiſſe veriſimile eſt quæ Antii, atque Albæ, ceteriſque in urbibus Latii celebrioribus. Veneris præcipue; illius enim imaginem in Norbanorum nummis, quos mox, ubi de Gente Norbana loquar, adducam, expreſſam ſæpius cernimus. Nympharum autem præcipuus Norbanis cultus fuit, & celeberrimum templum in agro Norbano ſitum. Verum, quia de illo ac Nympharum fonte, fluvio, lacu, urbe denique, aliqua peculiariter dicenda ſuperſunt, ea omnia in proximum recenſebo.



CA-

CAPUT IIII.

De Nymphæo lacu, fluvio, templo, atque urbe in agro Norbano.

NUPER, dum in superioris libri calce de Clostris Romanis ageremus, Nymphæum amnem necessario attigimus. siquidem in gratiam Nymphæi amnis Clostra constructa fuisse, narravimus. Nunc, ut in loco, quidquid de Nymphæo memoratu dignum ad nostram ætatem pervenit, narratione complectimur. Descendentibus itaque ex Norbano monte ex ea parte quæ mare spectat, rudera occurrunt bene multa, quæ templi Nymphæi nuncupati reliquias esse, locorum circa nomina cum Plinii lectione collata facile persuadent. Quamvis autem Nymphæum proprie appellatum fuerit flumen quod ad radices Norbani montis exoriens inde per octodecim fere millia passuum decurrit, donec a Clostris Romanis exceptum, (de antiquo ejus alveo loquor) in mare sese haud multum aquarum perpetuo dives exonerat; & Nymphæus pariter lacus indidem ferme originem ducens Plinio sit appellatus; templum tamen ad radices sive potius in ipso clivo montis Norbani Nymphis extructum ac dedicatum, Nymphæum pariter dictum est. Cum vero, excisa Norba, circa ruinas hujus templi posterioribus sæculis oppidum fuerit ædificatum, illud quoque aliquando Nymphæum est vocitatum; ut merito proinde in titulo, de Nymphæo lacu, fluvio, templo, ac urbe, me nunc verba facturum professus sim; hæc siquidem omnia olim Nymphæum dicta. Celebre autem fuit cum pri-

primis templum, a quo & fluvius nomen accepiſſe dicitur. Oritur autem ferme ex radicibus Norbani montis; & ex antiquæ Norbanæ Coloniæ propinquitate, quæ illi ſuperimminebat, celebriorem famam quondam adeptus eſt. Erat enim hic fluvius Norbanis apprime religioſus ob illud quod Plinius refert, prodigium. 1. Ait ſiquidem, in lacu Nymphæo, qui eodem loco quo fluvius exoritur, etiam nunc viſitur, prope Norbani montis radices; fuiſſe parvas inſulas, *Saltuares* dictas, quoniam in ſymphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum movebantur. Hic ſacerdotes templi Nympharum, quod proximum erat, cellam habebant, in qua Nymphis libabant, antequam peregrinis aut incolis tantum prodigii oſtenderent. 2. Iidem ſilicem oſtendebant, ex qua prodibant flammæ, quæ pluviis infuſis accendebantur. Prope lacum autem in clivo montis erat antiquiſſimum Nympharum templum, a quibus & fluvio nomen. Hujus templi rudera ſumptuoſiſſimi operis ædem teſtantia viſuntur adhuc, quamvis tres tantum fornices, iique ſemiſepulti, appareant. Nympharum ædis ſupra Nymphæum amnem conſtitutæ meminerunt Suidas ac recentiores eruditi viri 3. nonnulli, quodque caput eſt, vetuſtus lapis caſæ cujuſdam inferiori parieti incluſus ad moles quæ in fine lacus Nymphæi cernuntur, cum hac inſcriptione:

1. L. 2. c. 94. & 95.

2. Id. eod. libro.

3. Calep. Paſſerat. & alii.

NYMPHIS DRYAD:
SAC.

\- - - - - - - - - - - - - -

M. VATIC.

\- - - - - - - - - - - - - -

V. S. L. M.

Est autem hic lapis invio admodum loco, ac licet facile mobilis, omnino tamen neglectus ac prætermissus. Alius quoque lapis non multis ab hinc annis ibidem extabat cum hac mutila ac trunca inscriptione:

- - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - -
CENS: COL:
V. S. - - - - - - -

Hos lapides in templo Nympharum fuisse non dubito. Et de primo quidem satis aperta res est; de altero autem minime ambiget quicumque in memoriam revocabit, morem antiquis fuisse, Censorum Coloniæ acta publicis tabulis descripta in æde Nympharum servare, quod censura puræ mentis integritatem, Nympharum propriam, exigeret, ut est apud Tullium. 4. Cum autem dedicatio de qua lapis, facta sit a Censoribus, eam Nymphis, quarum hic templum, factam fuisse, non immerito judicamus. Ceterum, apud antiquos quis nesciat prope fontes ac fluvios templa ipsi fonti, vel aquæ, vel certe Numini quod illis 5. putabatur præesse, fuisse constituta? Nymphis præcipue, quæ aquis præesse potissimum credebantur, dicari consuevere. Harum quas subdo, simillimas inscriptiones fontibus appictas passim reperies: 6.

4. *Pro Mil. & Tomas. de Donar. c. 27.*

5. *Cic. l. 3. de Natura Deor.*

6. *Fabrett. Inscript c. 6. p. 432.*

FONTI SANCTISSIMO
SACRVM

&

AQVIS ALBVLIS SANCTISSIMIS
SACRVM.

Cole-

Colebant enim profani aquas, illis ſupplicabant, 7. & vota faciebant: dona etiam, flores præcipue, eis deferebant. Quoniam vero Nymphas aquarum Deas, Bacchi nutrices, vel quia aqua vitibus ſit neceſſaria, vel potius, quia vino nimium generoſo temperando ſit idonea, eſſe dicebant; propterea eiſdem prope fontes aut fluvios templa vel fana dedicabant. Sane Heracleæ Eleorum apud Cytherum fluvium ſupra fontem ex quo amnis manabat, templum Nympharum fuit, ibidemque aquæ ſaluberrimæ lavantibus, laſſis præcipue ad vires reſtituendas, quoſvis etiam dolores levandos, manare creditæ ſunt. In Bœotia 8. quoque juxta oppidum quod Cyrtonem dicebant, ſaxo proximum ex quo frigida manabat, Nympharum ſacellum fuit. Denique (ne longum faciam, pluraque quam par eſt, in re ſatis nota, teſtimonia, Græca præcipue Latinus homo, & de Latio ſcribens congeram) Romæ prope Portam Capenam, vel certe haud ita procul, fons fuit fanumque Nympharum, de quo Juvenalis: 9.

7. Leonidas in Anthologia Epigr. Græcor. & Tomaſinus de Donar. c. 27.

8. Pauſan. in Bœot.

9. Sat. 3.

Nunc ſacri fontis nemus & delubra locantur
Judæis.

& paulo infra:

quanto præſtantius eſſet
Numen aquæ, viridi ſi margine clauderet undas
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum!

At templum iſtud ad Nymphæum amnem Nymphis Dryadibus dedicatum, primus lapis adductus oſtendit. Nemoralibus itaque Nymphis ſacrum fuit. δρῦς enim Græce, *quercus* Latine dicitur, ac Dryades eædem quæ quercubus præſides, ſive nemoribus e quercu multa conſitis cuſtodes impoſitæ. Circa fontes enim ſerebantur nemora ſeu luci, ut ex aquarum perenni alluvione in ſilvam citius ſuccreſcerent. iccirco Juvenalis

modo allatus *sacri fontis nemus* dixit. Ceterum, hoc Nympharum templum vetustissimum non a Norbanis aliisve Latinorum populis, sed a Græcis, Pelagisne an Arcadibus, Nymphis exstructum dedicatumve fuisse, sunt qui putant. non solum, quod hic ante Latinos Romanosque mos esset Græcorum, prout superius commemoravi, verum, quod Dryadibus dedicatum legitur. 10. Dryadum scilicet unam, eamque principem, Carmentam sive Themin Evandri Arcadum Regis matrem, sedibus suis pulsam una cum filio, Latii oras tenuisse, ibidemque a primis illis Pelasgis sive Arcadibus, qui Latii oras incoluerunt, templum, quod fatidica esset, ipsi extructum fuisse, & Dryadis nomine coli cœptam; Dryadibus deinde omnibus commune templum evasisse. De Carmenta quidem plura 11. Ovidius, Pausanias, aliique scriptores bene multi. Ceterum, Nympharum templum prope Nymphæum amnem a Pelasgis sive Arcadibus in honorem Carmentæ ædificatum, affirmare minime ausim, cum & nulli satis solido inniti testimonio possim, & mos templa sive sacella Nymphis juxta aquas & nemora dedicandi Græcis æque ac Latinis communis fuerit. quamquam eumdem ab Græcis Latinos accepisse, quemadmodum & ceteram omnem superstitionem, minime inficier. Huc etiam Latii populos frequentes convenisse ob vaticiniorum famam, crediderim. Rudera autem præter planitiem, etiam dimidium clivum Norbani montis occupant, ubi, ut omnem Deorum superstitionem majores nostri funditus tollerent, templum Virgini Deiparæ consecrarunt. Aquas etiam fontis a quo manat Nymphæus amnis, antiquis sacras fuisse, tradit 12. Sponius, inscriptionem hujusmodi inter collectas a Grutero referens:


NYM-

10. *Pausan. Plutarch. Ovid. & alii pluribus locis.*

11. *In Fast.*

12. *Miscell. erudit. antiq. sect. 2. n. 7. p. 37.*

Tab. XXIII.



Vetustissimi Nympharum templi uestigia ad Nymphæum oppidum lacum et amnem iuxta Norbani montis radices, quo loco à Christianis Diuo Michaeli ædes olim fuit consecrata, illique coniuncta amplissima Domus Sancti Benedicti assectis attributa ad incolendum, uulgo nuncupata = La Badia dell'Angelo = Nunc diruta omnino iacet, et uni tantum solitario homini ad exigui sacelli custodiam destinato inhabitatur.

NYMPHIS LOCI.
BIBE. LAVA. TACE.

Ex quibus habes, Nymphis hoc loci silentio fortasse sacrificatum, ut in sacris Cereris moris erat. In fine etiam lacus Nymphæi thermarum rudera cernuntur, & lavacri religionis gratia forte constructi. In loco autem in quo olim Norba, urbem quam Nympham dixerunt, ædificatam, fusius in Latio Sacro dicemus, ejusdemque quæcumque supersunt monumenta afferemus in medium. Nunc de Nymphæo flumine ac templo satis. cum nil aliud quod Latii Profani sit, dicendum suppetat. Ceterum, si quis de Nympharum apud profanos cultu plura desideret, interioremque quasi philosophiam (ita dixerim) doceri velit, is Sanctum Augustinum adeat in libris de Civitate Dei; ibi enim egregius doctor omnem illarum ceterorumque falsorum Numinum scientiam profert enucleatque diligentissime, ut quanta sub nocte lateret profanorum, quam putabant, meridiana dies circa Deorum cultum, ostenderet.

C A P U T V.

De Gente Norbana inter Romanas illustri.


HAEC quoque Colonia suos Populo Romano augendo cives aliquando contulit. Ex ea namque prodiit Gens Romæ illustris Norbana, quæ licet plebeja, omnibus tamen honoribus ac dignitatibus aucta, diu viguit. Norbana autem appellari voluit hæc Gens, ut patriæ suæ vel in ipso cognomine assidue memor esset;

ſet; quod & pluribus ſolemne fuiſſe, ut loci unde originem ſtirpis duxiſſent, cognomines fierent, ſuperius, ubi de Antiati familia ſermo incidit, commemoravi. Norbanæ autem Genti a patria deductum cognomen, vel ex ipſa voce liquet, quæ reliquis Norbanis civibus communis erat. Norbana ſiquidem, non vero Norbania, ut Seſtia, ut Mamilia, ut Rutilia, & ſexcentæ aliæ, appellata eſt. Et quidem Gentis hujus principem Cajum Norbanum fuiſſe invenio, quem C. Junium Norbanum nonnulli, incertum quo auctore, dixerunt. Hunc enim ex fæce quidem plebeja, ex urbe Norba Latinorum Colonia 1. originem duxiſſe ferunt; Cajo autem Mario adhæſiſſe, atque ab illo ad rerum gubernacula evectum: quod Marianis illis temporibus difficillimis, & aliis pluribus plebejis hominibus contigiſſe 2. compertum eſt. *Hujus exſtant nummi duo aurei, quos refert Vaillantius, in quorum altero, in antica quidem parte Veneris caput expreſſum eſt cum inſcriptione: *C. Norbanus XXXVI.* in poſtica vero, ſpica, faſces conſulares, & Mercurii virga, quam ſerpentes duo ambiunt, quam caduceum dixerunt; ut hic apponimus. In altero vero nummo, caput Veneris pariter cernitur cum titulo: *C. Norbanus XI.* ex averſa vero parte, prora, faſces conſulares, & caduceus. Hos denarios ab Cajo Norbano in quæſtura excuſos, patet. 3. Fuit ſiquidem M. Antonii Oratoris Conſulis Quæſtor in Macedonia. Illum hominem ſeditioſum ac furibundum appellat L. Craſſus Orator apud Ciceronem. 4. Quæſturam ſane geſſit anno U. C. ſexcenteſimo quinquageſimo quarto, aut certe quinto, juxta aliorum ſupputationem. quo anno Marcus Antonius Orator & A. Poſthumius Albinus Conſules fuere. Appoſuit autem in nummis Veneris imaginem, quod gentilitio ſuorum

1. *Pighius ap. Ful. Urſin. lib. de Fam. Rom. in Norban. pag. 177. in fol.*
2. *Jo. Vaillant. tom. 2. de Numm. antiq. Fam. Rom. pag. 175. in fol. Amſtelod.*
* *Vide hos ceteroſque Norbanæ Gentis nummos, de quibus inferius ſermo eſt, in Tabula XXIV. hujus Tertii Latii Profani Voluminis, in qua omnes, Ligoriano excepto, diligenter repræſentantur.*
3. *Vaillant. in Norban.*
4. *Cicer. de Orat. l. 2.*

rum

TAB. XXIV.



NORBANA

Norbanæ Gentis Romæ illustris Nummi.

rum more peculiari religione Deam illam coleret; insignia vero quæ in averſa nummorum parte collocavit, extinctam ejus opera Apulejanam ſeditionem teſtantur; cum enim eſſet Tribunus plebis Apulejus anno hujus quæſturæ ſuperiore, ſeditionem ingentem in Urbe concitaverat; malo tamen ſuo cum primis, ſiquidem is in ea ſeditione occiſus fuit: cumque ingentem ſeditioſorum multitudinem ex agris intra mœnia convocaſſet, Antonius Conſul cum Quæſtore Cajo Norbano, ne in immenſum ea multitudo augeretur, extra Urbem illis obviam profectus cum præſidio, prohibuit. quod in 5. Rabiriana teſtatur Cicero. Norbanus igitur per conſulares faſces, juſtitiæ in Saturnino occidendo potentiam innuere voluit; per Mercurii vero virgam, quam caduceum appellant, pacem in Urbe revocatam; per ſpicam denique, annonæ caritatem ſublatam, & copiam ubique reſtitutam ſignificavit. Per proram autem, quam in altero ex nummis appinxit, maris imperium tranquillitati redditum declaravit. Notas autem illas numerales in primo quidem nummo XXXVI. in altero vero XI. ſic interpretor ex alio nummo ejuſdem Caji Norbani, quem mox adducam. In eo ſiquidem habentur hæ notæ: V. XXXIIII. quas ſic lego: *vectigali trigeſimo quarto*: & eadem ratione primi nummi notas atque alterius legendas duco. Notabant enim, nummiſque ipſis inſculpebant Quæſtores, ex quoto vectigali in fiſcum 6. reducto pecunia quæque cuderetur. Quæſtorum autem fuiſſe, publicam pecuniam e vectigalibus congregare, in publicum ærarium deponere, atque ex illis nummos cudere, compertum eſt. Jam vero alia Norbani hujus monumenta nummus alius argenteus nobis inveſtiganda proponit.

5. Cic. Orat. pro Rabir.

6. Vaillant. in Norban.

Cer-

7. Id. ibid. Cernis hic 7. ex altera quidem parte, Veneris caput expreſſum, ut in ſuperioribus, cum notis *V. XXXIIII.* ex altera vero, Silenum nudum dexteram ſupra caput attollentem, ſiniſtro vero humero inflatum utrem portantem, & columnæ, cui Bellonæ ſignum impoſitum, terga vertentem. Sane, quid ſibi velit effigies Veneris, ſuperius commemoravi. quid autem Silenus hoc pacto expreſſus, non admodum liquet. Sileni certe cultus in Urbe, nulla eſt in hiſtoria mentio. Exiſtimaverim potius, nummum hunc a C. Norbano percuſſum ob Bacchanaliorum ſectam, quam hæreſin dixerunt, ex Urbe expulſam. quod etiam factum Q. Marcio Philippo, & Poſthumio Albino Coſſ. legimus apud Livium 8. Silenus autem, prout ex fabulis edocemur, Bacchi cuſtos creditus eſt. In nummo itaque appingitur habitu corporis mœrorem indicante, quod ſcilicet cum alumno ſuo pelleretur ex Urbe: nudus autem, quod maxima eſſet in Bacchanalibus petulantia; caudatus, quod tales Satyros (ex quibus ille quoque) fabulabatur antiquitas. utrem inflatum aſportat, ululatuum quos inconditiſſimos ac maxime incompoſitos celebrantes Bacchanalia edebant, inſigne: terga demum vertit columnæ, quam Mæniam ſignificare ſuſpicor, in octava regione Fori Romani collocatam, ad quam Triumviri capitales de maleficis, eorumque ſceleribus, Tullio teſte, cognoſcebant; ut locum indicet unde ſibi exilium ab Urbe imperatum. additur autem titulus: *Norb. V. XXXIIII.* ut palam fiat, ab Norbano expulſum, nummumque cuſum vectigali trigeſimo quarto, ut nuper monui. Hæc expoſuerim, non quidem ut certa omnino, verum non levi ductus conjectura; de qua tamen doctis viris plenius cognoſcere integrum erit.

8. Liv. Dec. 4. l. 9.

Ex

Ex Quæſtura anni ab Urbe Condita ſexcenteſimi quinquageſimi quarti aut quinti acceſſit C. Norbanus ad Tribunatum plebis U. C. anno ſexcenteſimo quinquageſimo octavo aut nono. In hoc magiſtratu rogationem tulit, ut Q. Servilio Cæpioni conſulari ac triumphali viro tunc Proconſuli imperium abrogaretur; reumque illum fecit majeſtatis apud Populum, ob fugas Cimbricas, ut ſeſe Norbanus magis magiſque Cajo Mario ſtrenuum fidumque fautorem probaret. L. autem Ceſtius qui cum Norbano Quæſturam geſſerat, eidem ſequenti anno in Tribunatu ſuffectus eſt, quocum etiam Norbanus Urbanam Præturam adminiſtravit; quod ſella curulis in nummo quem mox adducam, expreſſa aperte indicat. Ceterum, ſtatim a Tribunatu reus ipſe majeſtatis lege Apuleja factus eſt, quod nimirum in Tribunatu turbas & ſeditionem adverſus Rempublicam concitaſſet. quo crimine, quamquam nocentiſſimus, ope tamen & patrocinio M. Antonii Oratoris, cujus ſodalis & Quæſtor fuerat, abſolutus eſt. Quin etiam haud ita multo poſt Ædilis curulis eſt factus cum Lucio Ceſtio, & Megalenſes ludos in honorem Cybeles magnæ Deum matris edidit ex Senatuſconſulto, ut videre eſt in nummo, in quo hæc inſcripta: *C Norbanus L Ceſtius*; cerniturque inibi cuſum caput Veneris. ex averſa autem parte, Cybele turrito capite, *qualis invehitur curru Phrygias turrita per urbes*, exprimitur, dextera extendens pateram ad libamina, ſiniſtro autem cubito crotalo innixa, duobus leonibus currum de more trahentibus, ut hic cernis.

Præturam 9. autem ſtrenue geſſiſſe C. Norbanum cum L. Ceſtio anno U. C. ſexcenteſimo ſexageſimo quinto aut ſexto dicendum eſt, eoſque præclaram aliquam de Africanis ſententiam tuliſſe. Siquidem Sena-

9. *Vaillant. in Norbana.*

 tuſcon-

tuſconſulto aureus nummus percuſſus eſt in quo frons altera Africæ caput repræſentat cornutum cum elephanti proboſcide, ſi tamen, ut verius puto, ea ipſa quæ cornua videntur ad elephantinos ipſos dentes referenda non ſunt. altera vero ſellam curulem ſupra quam galea eſt, repræſentat cum literis: *L Ceſtius C Norba. S. C. P. R.* eo ordine quo hic vides. 10. Sella autem curulis inſigne fuit Prætorum, in qua jus reddebant: galea vero eidem impoſita capitalis damnationis poteſtatem ſignificabat; quod cum facerent, prætextam prius deponebant, teſte Valerio; eam puto ob cauſam, quia triſtem ſententiam in veſte lætitiam indicante ferri, minime deceret. Ceterum, Africam cum elephanti proboſcide ac dentibus, ob elephantorum copiam, quorum illa vel maxime nutrix eſſet, repræſentari, nemo eſt qui ignoret. Atque hæc quidem certa ſunt monumenta quæ de C. illo Norbano ſuæ Gentis Romæ facile principe ad nos pervenerunt.

10. Id. ibid.

Ceterum, an ille idem ſit cum C. Norbano Conſule U. C. anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo, an alius ab illo Conſul hic fuerit, ſtatuere, ut in re admodum incerta, minime auſim. Verum, aut is fuerit, aut ab eo alius, certe Norbanus fuit, noſtræque hujus Gentis. Hic in Conſulatu L. Cornelii Scipionis Aſiatici collega fuit, 11. cumque Marianis partibus, Gentis ſuæ morem ſecutus, apprime faveret, Marianorum exercitum contra L. Sullam in Italiam cum copiis revertentem, in Campaniam eduxit. Sed cum apud Canuſium Norbanus infeliciter pugnaviſſet, Capuæ ſe mœnibus ex fuga protegere compulſus eſt. Legatis ſuis deinde per inſidias Albinovani in convivio occiſis, privati hominis conſcenſa navicula, Rhodum trajecit; ubi cum a Sulla ad pœnas dandas Rhodii illum tradere ex-

11. Id. ibid.

po-

poſcerentur, cumque ii de ejus deditione deliberarent, ipſe ne in infenſiſſimi civis poteſtatem atque arbitrium veniret (quod fortium apud Romanos ſummum decus ac virtus habebatur) violentas ſibi manus intulit. Hoc autem Conſule, P. Rutilius Lupus Ædilis curulis nummum percuſſit, in quo adverſa fronte caput Apollinis laurea coronatum exprimitur cum litteris: *C. Norbanus Coſ.* averſa vero, ſella curulis, ſupra quam corona inter duas ſpicas cum titulo: *P. Rutilius Lupus Æd. cur. ex. S C* repræſentatur. Caput autem Apollinis Apollinares ludos a Norbano Conſule editos innuit. mos enim fuit ut Conſules, dum Romæ eſſent ad pridie Nonas Quintiles ludos pro Prætore celebrarent. Spicæ vero curulem ſellam coronatam tegentes, annonam ab Ædili Rutilio reſtitutam declarant. 12. *12. Vaillant. in Norbana.*

Jam vero ab Urbe Condita anno ſeptingenteſimo decimo quinto Norbanus alter cum Appio Claudio Pulchro a Dione Conſul nominatur; qui biennio poſt in Hiſpania Domitio Calvino proconſulari imperio ſucceſſor fuit. Hic Caji filius fuit, ſuperioris Conſulis, puto, Flaccique cognomine eſt appellatus. Quamquam autem de geſtis ejus monumenta nulla ſuperſint, triumphaſſe tamen illum de Hiſpania ſcimus. quod ejuſdem præclara facinora ſatis ſuperque ſignificat. Extat ſiquidem nummus, ex altera quidem facie Norbani Flacci caput exponens, cum literis: *Flaccus Pr. Coſ.* at ex altera, Norbanum eumdem ſedentem ante trophæum, dextera lauri ramum gerentem, qui ab Victoria pone eum ſtante laurea coronatur, cum titulo: *C. Norbn. C. F ex. S. C.* oſtenditque nummus, Norbanum, ut duces & milites in triumpho ipſum ſecutos remuneraretur, nummos ex Senatuſconſulto percuſſos in populum ſparſiſſe. Appoſuit autem Norbanus nummis imaginem

ſuam, quod tunc temporis id ne fieret, adhuc lege cautum minime eſſet. ſiquidem & Domitius Calvinus deceſſor ejus in Hiſpania, eam in denariis quos in Hiſpania ſignarat, expreſſit. Ceterum C. Norbanum de Hiſpania triumphaſſe, etiam triumphales columnæ aperte nos docent his literis: 13.

13. Verr. Flacc.

C. NORBANVS C. F. FLACCVS PROCOS.
ANNO DCCXIX EX HISPANIA IIII IDVS
OCTOBR

quamvis in illis ob varium annorum calculum triumphi hujus annus diſcordet. Hujus filius C. item Norbanus Conſul fuit, & Auguſti collega decimo ejuſdem Conſulatu, eodemque, vel Tiberio imperante, L. Norbanus, quem Balbum appellant, cum M. Junio Syllano Conſul deſcribitur. Hujus etiam fratrem C. Norbanum cum Druſo Conſulatum geſſiſſe, legimus. Hinc quis colligat, Norbanorum cognomina Flaccos fuiſſe ac Balbos. Ceterum ſenatoria dignitate Gens Norbana uſque ad Commodi tempora floruit. Commodus autem huic Genti cum paucis infenſus, Norbanum ſenatorem de medio ſuſtulit.

Norbanam Gentem ad Herculem generis originem retuliſſe, ſupra ex Ligorio commemoravi. Cum enim non ſolum plebeja eſſet, vèrum etiam ex fæce plebeja, quod auctores ajunt, neque virum ullum a quo ſtirpem inchoatam jactaret, oſtendere poſſet, ad auctorem patriæ, Herculem nempe, juxta veterem Norbanorum opinionem, confugit. Cui opinioni ut fidem aſtrueret Gens Norbana, Herculem in nummis aliquando repræſentavit. Refert ſiquidem Ligorius 14. nummum C. Norbani, qui cum L. Scipione Aſiatico Conſul fuit, quem Norbanum Baſſum

14. Ligor. de Famil. Rom. in C. Norb.

Li-

Ligorius appellat, ubi Hercules victor & triumphans repræsentatur.

Ceterum, ex Gente Norbana tot jam honoribus ac dignitatibus aucta Gens Sæconia propagata videtur. Leguntur siquidem apud Ligorium 15. inscriptiones duæ, quas in Villa Labicana hujus Gentis effossas scripsit; in quarum prima, Lucius quidam Sæconius eques Romanus Norbanum se nominat. Crediderim tamen, illum Norbanum quidem patria & domo fuisse, alium tamen omnino diversæque Gentis ab Norbanis illis quos hactenus commemoravi. Illi siquidem quamvis plebeja origine, senatoria tamen, prætoria, proconsulari, & consulari dignitate claruerunt: hic autem se equestris ordinis fuisse ac legionum Præfectum profitetur. Excisa itaque a Sullanis sive potius a Norbanis ipsis Norba, Sæconiam Gentem Romam sese contulisse, ac deinde in equestri ordine inter Romanas cooptatam, dicendum est. Inscriptionum autem prima sic habet: 15. v. Sæconia.

D. M.
SAECONIVS L. F. FABIA
NORBANVS EQ. ROMAN
PRAEFECTVS SEXTARIVS LEG. XI CLAVD.
FEC. SIBI SVISQVE LIBER. ET SVCCESS:

altera vero:

GENIO FAM. ET MERCVRIO AVG: SACRVM
M. SAECONIVS L. F. FAB.
EQ. ROMAN. DVPARIS FLAMEN AVGVSTALIS
ET MAGISTER VI VIR. AVG.
SVA PEC. D. D. XVIII KAL. MAII
M. FONTEIO CAPITONE ET C. IVLIO RVFO
COSS.

Ex

Ex quibus ultimis verbis, M. Sæconium ſub Nerone vixiſſe, conſtat; in cujus imperium Fonteji & Rufi Conſulatus incidit. Lucium autem Sæconium, quem prior lapis commemorat, meruiſſe ſub Claudio, Præfectura ſextaria legionis Claudiæ, ſatis oſtendit. Ceterum, & illud notandum; quod allatum marmor Fontejum Capitonem Conſulem perperam prænomine Marcum appellat, cum Cajum illum vocatum, ex Faſtis Conſularibus, liqueat. Et hæc quidem ſunt monumenta quæ tot poſt ſæcula etiam Norbanæ urbis ab excidio, de Norbana Gente hinc illinc ſparſim ſumma induſtria colligi potuerunt. Fuiſſe autem & alias Norbanas familias Romæ illuſtres, Mariana præcipue florente factione, cui Norbana Colonia ſemper plurimum favit, quicumque acre Norbanorum ingenium militaremque eorum virtutem æſtimarit, facile judicabit.

C A P U T VI.

De Sulmone oppido prope Norbam.



HAUD ita procul a Norba antiquiſſima fuit urbs Sulmo, cujus cum ruinis monumenta ferme omnia interierunt. Clarum oppidum priſcis illis Romanæ Reipublicæ temporibus, atque adeo ante ipſam Urbem Romam Conditam extitiſſe, Plinius 1. memorat. ſiquidem inter clara olim Latii oppida ſua jam ætate deleta, & quorum vix ruinæ ſupererant, a Norba ſtatim Sulmonem recenſet. Utque nulli dubium ſit, Sulmonem de quo loquimur, aliam urbem fuiſſe ab ea quæ Ovidii patria fuit (quod ſcriptorum nonnullos parum animadvertiſſe video) hæc ſatis ſuper-

1. *Lib.* 3. *c.* 5.

perque declarant. Sulmonem nempe Ovidii patriam in regione Italiæ quarta, inter alios populos etiam Pelignos complectente, quorum præcipua urbs Sulmo, a Plinio constitutam fuisse: Sulmonem vero nostrum in Italiæ regione prima, in Latio scilicet, constitutum. Ovidii patriam Plinii ætate adhuc superstitem: Latinum vero Sulmonem deletum omnino fuisse. In monte itaque prope Norbam Latinum Sulmonem conditum priscis illis temporibus fuisse, in loco qui nunc ab accolis *Sermoneta vecchia* nuncupatur, pervetusta fama obtinuit. quod & oppidi quod nunc *Sermoneta* dicitur, antiquorum scriptorum quorumdam appellatio confirmat. quamvis enim a pluribus *Sirminetum* id oppidum passim dicatur, *Sulmonetum* 2. tamen a nonnullis etiam appellatum fuit; quin etiam ab eruditis aliquibus Geographis oppidum ipsum quod nunc extat, & ditionis est Cajetanæ Gentis inter Romanos regulos nobilissimæ ac generosissimæ, *Sulmonis* nomine dictum est, eo quod putaverint scriptores illi, non longe ab Sulmone ætate Plinii jam exciso, atque ex ruinis illius urbis novum hoc oppidum excitatum. quod tamen post Plinii ætatem contigisse, ex silentio Plinii de eodem oppido, in comperto est. Utut res habuerit, in agro certe Sulmonensi posterioribus sæculis Sulmonetum sive Sirminetum conditum fuit. Jam vero a quibus vetus ille Sulmo Latinus, de quo Plinius, extructus fuerit, nulla omnino vel incerta fama ad nos pervenit. Nam quod Laurentius Valla in Commentariis ad Satyram Juvenalis sextam a Solemo Æneæ socio Sulmonem conditam scripsit urbem in Italia; id de Peligno Sulmone prorsus intelligendum. quamvis enim levi aliqua conjectura ad Latinum Sulmonem id referri posset, ea tamen quæ mox proferam,

2. *Ap. Cluv. Ital. Antiq. Geograph.*

ram, testimonia contrarium omnino evincunt. Conjecturæ itaque quibus adductus, Sulmonem Latinam urbem a Solemo sive Solimo Æneæ socio conditam credere forte quis posset, sunt: primo quidem locorum ab Ænea cultorum propinquitas ac Latinæ regionis situs, quem Trojani primum omnium ab erroribus suis tenuere. deinde vero ipsa Juvenalis verba. ait siquidem Satyra sexta, mulierum vitia ac depravatos mores exagitans, eas inter cetera per eam ætatem ex Latinis Græcas factas, & a Græculis magistris omnem artem perdoctas, græcissare cum maritis habuisse in deliciis:

se non putat ulla
Formosam, nisi quæ de Tusca Græcula facta est,
De Sulmonensi mera Cecropis. omnia Græce:
Cum sit turpe magis nostris nescire Latine.

Videtur hoc loco poeta significare voluisse, mulieres Latinas loquela Græcas factas; adeoque Græciæ Latium opposuisse. idemque esse hoc loci: *de Sulmonensi mera Cecropis*, atque *de Latina mera Græca*. locutum igitur de Sulmone urbe in Latio, quam a Solemo conditam Æneæ socio, testatur Valla in Commentario nuper allato, dicamus. præcipue cum majorem vim, si hoc intelligamus, habitura sit oppositio. Erit enim sententia: mulier Latina, atque adeo Sulmonensis, nata nempe in ipso Latii ferme sinu, & Latinis exculta literis, meroque Latino sermone imbuta, fit Græca mera. non enim quacumque utitur Græca locutione, sed Attica, quæ omnium est elegantissima; hoc enim significat *mera Cecropis*. At si explicemus, *de Peligna fit Attica*, minorem vim habere videtur oppositio. Pelignos enim extra Latium positos eleganti Latino sermone usos, quod sciam, nullus antiquorum prodidit. Vicinitas

tan-

tandem aliarum urbium a Trojanis conditarum eo ferme tractu quo Sulmo Latinus fuit, ipsum quoque ab Trojano conditore, Solimo nempe Æneæ socio, ortum duxisse, facile persuadeat. Verum, nugæ. quid enim incertis opus est conjecturis, cum aperta in contrarium testimonia suppetunt? Ovidius itaque Fastorum libro quarto, Sulmonis patriæ suæ conditorem Solimum fuisse Æneæ socium, aperte testatur his versibus: 3. 3. Ovid. Fastor. l. 4.

Serus ab Iliacis & post Antenora flammis
Attulit Æneas in loca nostra Deos.
Hujus erat Solimus Phrygia comes exul ab Ida,
A quo Sulmonis mœnia nomen habent.
Sulmonis gelidi, patriæ, Germanice, nostræ.
Me miserum! Scythico quam procul illa solo est!

His adde, quod Latinus Sulmo jam conditus erat, cum Æneas hospitio Italiæ prohibitus, pro parte Latii & uxore Lavinia sibi asserenda, cum suis Trojanis, Etruscorumque atque Arcadum manu, Pallante duce, decertaret adversus Latinos. Ex quibus, ut inferias faceret occiso Pallanti, juvenes quatuor Sulmonenses arripuit, quos ejus umbris immolaret: 4. 4. Virgil. Æneid. l. 10.

Sulmone creatos
Quatuor hic juvenes, totidem quos educat Ufens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris. &c.

Neque enim sociales cives Æneas hostium loco mactandos arripuisset; quod tamen dicendum esset, si Latinus Sulmo, unde hos juvenes creatos ait poeta, Solimum Æneæ socium conditorem habuisset. Nam, quod hi juvenes Sulmone in Pelignis creati fuerint, non vereor, quemquam ambigere; nulla enim apud Virgilium de Pelignis qui bello Latinos inter & Trojanos adfuerint, mentio; nec vacuum fuit in-

tegrumque Æneæ circa Ardeam pugnanti Pelignos tam diſſitos invadere, atque illinc quatuor juvenes Sulmone creatos ad Pallantis inferias arripere. verum ex improviſo, ut, quo æſtuabat de morte Pallantis, dolori faceret ſatis; *Quatuor hic*, inquit poeta (eodem ſcilicet ferme loco ac tempore quo Pallas ceciderat) *juvenes Sulmone creatos Viventes rapit, inferias quos immolet umbris*. cumque *totidem quos educat Ufens* fluvius antiquo Latino Sulmoni proximus, arripuerit, ſatis ſuperque compertum eſt, de Latino Sulmone vati ſermonem fuiſſe; quem proinde Solimum Æneæ civem, amicum, & ſocium, quique tunc temporis pro Ænea in exercitu verſabatur, conditorem habere minime potuiſſe, ſatis ſuperque manifeſtum eſt. Quod autem Juvenalis loco ſuperius allato de Sulmonenſi Peligna, non vero Latina locutus ſit, inde facile oſtenditur; quod Sulmonenſes Latini cum ſuo Sulmone ætate Plinii, qui aliquantulo Juvenale ſuperior fuit, inter quinquagintatres Latii populos qui jam interierant ſine veſtigiis, ab ipſo Plinio ſint recenſiti. Qui enim fieri potuit, ut Juvenalis, Plinio poſterior, de Sulmonenſi Latina loquatur ſua ætate ſuperſtite, cum Sulmonenſes Latini populi ſuperiore jam ætate, Plinii nempe, interiiſſent omnino ſine veſtigiis? Quamquam autem de Peligna Sulmonenſi Juvenalis loquatur (ut illum loqui dicendum utique eſt) adhuc vis oppoſitionis multa eſt. Peligni enim Juvenalis ætate Latine utique loquebantur; poetiſque perfamiliare eſt, nominibus abuti. Sulmonenſem itaque poſuit pro Itala, pro Latina, pro Romana; niſi etiam adjungas, Sulmonenſes præcipue tunc temporis feminas græciſſare conſueviſſe. Hæc omnia in Laurentii Vallæ de Latino ſermone optime meriti gratiam dixerim. Si enim Juvenalem de Sulmo-

monensi Latina, ex agro nempe Sulmonensi in Latio, qui ager certe etiam oppido exciso superfuit, locutum dicamus (quod alicui fortasse non immerito arriserit) jam Vallam abs re in Commentario, Sulmonis conditorem Solimum Æneæ socium appinxisse, dicendum erit. Hoc itaque maneat: Sulmonis Latini, de cujus origine quærimus, Solimum Æneæ socium conditorem certo certius non fuisse. Quis igitur ejus conditor? Incertum omnino. sexdecim enim ab hinc sæculis & eo amplius interiit Sulmo sine vestigiis. 5. Ceterum, hæc urbs in Pomptino fuit ex illis tribus & viginti quas Plinius lib. 3. cap. 5. narrat a Muciano in Pomptino quondam enumeratas. quamvis enim edito loco sita esset, Pomptini tamen agri, sive æquoris a paludibus occupati, censebatur; eo quod agri partem in Pomptina planicie haberet: quemadmodum Norbani & Corani inter Pomptinos pariter numerati, licet in monte eorum urbes collocatæ essent, habuerunt. Crediderim enim non abs re, Romanos totam illam planiciem quæ interjacet inter Terracinam, Privernum, Circejum, Antium, Coram, & Velitras, Pomptinum agrum appellasse. eo quod in hujus agri meditullio Suessa Pometia harum ferme urbium princeps olim fuisset, & locus deinde a stagnante palude, quæ Pometina sive Pomptina dicta fuit, occupatus fuisset. Ceterum, in agro Sulmonensi Calpurniorum sepulcrum fuisse, testatur lapis quem ex Pighio refert Gruterus (pag. 334. Inscript.) repertum in oppido quod nunc *Sermonetam* appellant, prope hospitium publicum. Est autem lapidis inscriptio in hæc verba:

5. Vid. Cardin. Corrad. l. 2. Vet. Lat.

DIS. MANIBVS
M. CALPVRNIO. M. F. MEN

VOSENNIO
VIX. AN. XXX. ME. IIX
M. CALPVRNIVS. M. F. MEN
HILARVS. MEDICVS
LVD. ϕ MAG ϕ
FRATRI PIISSIM. FEC

CAPUT VII.

De Cisterna oppido in finibus Norbanis.



NTIQUUM Sulmonem inter & Velitras oppidum situm est *Cisterna* appellatum; de quo postquam pauca scripsero, finem quinto huic libro imponam. Magna est inter scriptores controversia, utrum hoc oppidum, quod Genti Cajetanæ generosissimæ multis ab hinc sæculis paret, idem fuerit ac oppidum sive urbs *Tres Tabernæ* olim dicta; asserentibus aliis, aliis penitus negantibus, Tres Tabernas hoc loco fuisse. Sane Petrus 1. Marcellinus Corradinus Cardinalis Amplissimus; cujus vestigia gradu tam dispari sequi jubeor, ut quamvis illi tertio hoc Latii volumine sim proximus, longo tamen (mirum quantum!) sim proximus intervallo; Cardinalis, inquam, Corradinus, ex Itinerariis, in quibus quantum quisque locus Roma distaret, exprimitur, plane ostendit, Tres Tabernas eo loco quo nunc oppidum Cisterna est, minime collocatas fuisse. Itineraria enim Tres Tabernas collocant ad vigesimumprimum ab Urbe lapidem Appia via euntibus. oppidum autem Cisterna inter vigesimum octavum & vigesimum nonum lapidem situm est. Rickius tamen in suo Commentario, quem *Regiam Volscorum* in-

1. *Lib. 2. Vet. Lat.*

inſcripſit, Cluverii aliorumque ſententiam ſecutus, Tres Tabernas hoc loco ubi Ciſterna oppidum eſt, conſtitutas fuiſſe, omnino aſſerit; difficultati vero ab diſtantia locorum diverſa admodum petitæ occurrit, dicens, Itineraria multis ſcatere in milliariorum dimenſione erroribus, quos & Cluverius & Holſtenius aliique manifeſte deprehenſos pluribus locis correxerunt. Cum itaque, inquit, & vetuſtiſſima fama, & auctores quamplures non ignobiles, atque in hujuſmodi antiquitatibus perſcrutandis diligentiſſimi, Ciſternam oppidum eo loco eſſe quo antiquitus Tres Tabernæ fuerint, conſtanter aſſeveraverint, hodieque aſſeverent, errorem potius Itinerariorum fuiſſe dicendum, quam decus hoc Ciſternæ oppido, quod ibidem ſcilicet fuerint Tres Tabernæ, detrahendum. Quodnam autem decus hujuſmodi fuerit, in comperto eſt apud omnes; 2. namque apud Tres Tabernas diverſatus eſt magnus Gentium Doctor Paulus Romam veniens, & eo uſque Chriſti ſectatores ab Roma illi obviam facti ſunt. Tres autem Tabernæ dictus eſt locus, eo quod tria ibi conjuncta eſſent diverſoria ad hoſpites excipiendos. Ædificiis exinde auctum locum, religione fortaſſe, quod tanti viri hoſpitium fuiſſet, in urbis amplitudinem excreviſſe, cui ſacer Antiſtes aliquando præfuit, Latii Sacri erit exponere. Ceterum Rickii ſententiæ acquieſcere plane non poſſum. ut enim cetera omittam; intervallum a loco ubi in Itinerariis Tres Tabernæ fuiſſe notantur, ad locum quo nunc Ciſterna oppidum eſt, non unius alteriuſve milliarii eſt, at ſepties minimum mille paſſuum, & eo amplius: unde tantum errorem in Itinerariis omnibus irrepſiſſe, non eſt tam facile pronuntiandum. 3. Jam vero oppidum hoc *Ciſternam Neronis* aliquando vocatum fuiſſe, epiſtolæ

2. *Act. Apoſtol. c. ultim.*

3. *Ap. Card. Corrad. l. 2. Vet. Lat.*

læ quædam occaſione conſecrationis Alexandri Tertii in Pontificem Maximum, ab Imperatore Friderico hujus nominis ſecundo, & præſidibus illegitimi cujuſdam Concilii, ſacerdotibuſque Vaticani templi cuſtodibus conſcriptæ, quas in Latio Sacro integras dabimus, aperte teſtantur; innuuntque, ea de cauſa hoc oppidum *Ciſternam Neronis* vocatum, quod ibidem latuiſſet Nero fugiens Romanos inſequentes. Nero tamen Romanos de ſe pœnas repetentes fugiens, multo propius Romam latuit. Siquidem, 4. *Offerente Phaonte liberto ſuo*, inquit Suetonius, *ſuburbanum ſuum inter Salariam & Nomentanam viam circa quartum milliarium, ut erat nudo pede, atque tunicatus, pænulam obſoleti coloris ſuperinduit, adopertoque capite, & ante faciem obtento ſudario, equum inſcendit, quatuor ſolum comitantibus.* Et paulo infra: *Ut ad diverticulum ventum eſt, dimiſſis equis, inter fruticeta ac vepres, per arundineti ſemitam ægre, nec niſi ſtrata ſub pedibus veſte, ad averſum villæ parietem evaſit. Ibi hortante eodem Phaonte, ut interim in ſpecum egeſtæ arenæ concederet, negavit, ſe vivum ſub terram iturum: ac parumper commoratus, dum clandeſtinus ad villam introitus pararetur, aquam ex ſubjecta lacuna potaturus manu hauſit, &, Hæc eſt, inquit, Neronis decocta. Dein divulſa ſentibus pænula, trajectos ſurculos raſit, atque ita quadrupes per anguſtias effoſſæ cavernæ receptus in proximam cellam, decubuit ſuper lectum* &c. Hæc, fuſius fortaſſe quam par erat, ſum perſecutus, ut ex occaſione, tam inſigne divinæ ultionis exemplum in memoriam legentibus revocarem. Non itaque a latibulo Neronis hoc oppidum Ciſterna Neronis eſt appellatum, verum aliqua alia de cauſa. Non diſplicet ea quam attulit Corradinus Cardinalis Ampliſſimus in Veteris Latii libro ſecundo, qui eſt de Setinis, ſub finem decimi quarti capitis;

4. Sueton. in Neron. prope finem.

Nero-

Neronis nempe Cisternam iccirco vocatum hoc oppidum, quia fossam in Pomptino ab Augusto cœptam ad paludis eluvionem excipiendam, Nero usque ad hoc oppidum produxerit, quæ proinde *Neronis Fossa* dicta fuit, oppidumque *Neronis Cisterna* appellatum. Ceterum, hæc non ita constanter asseveraverim, ut nullus dubitationi locus supersit; verum ea quam dixi, conjectura ductus, in medium afferre volui de quibus eruditi disceptarent. De hujus autem oppidi conditoribus nihil certi. Pyrrhus Ligorius (verbo *Lanuvium*) Cisternam eamdem fuisse ac Cliterniam, sive Cliternium, existimavit, eamque a Lanuvinis, haud ita longinquis, olim constructam; adducitque suæ sententiæ confirmandæ gratia locum quemdam Ciceronis dicentis: 5. *Honesti Lanuvini, Cliternini non honesti*. Verum, nisi vehementer fallor ego ipse, vehementer falsus est hoc loco Ligorius. neque enim ex Ciceronis verbis quæ adducit, Lanuvinos Cliternii sive Cliterniæ conditores fuisse eruitur, multoque minus Cisternam oppidum, de quo nobis est sermo, Cliternium olim sive Cliterniam fuisse appellatum, ex iisdem commode colligi potest. Certe Plinius Cliterniam nullam in Latio memorat, neque inter populos agri Pomptini, sed neque tandem inter eos populos Latii sua ætate deletos sine vestigiis 6. Cliterninos quidem populos inter Æquiculanos præcipuos recensuit, in regione Italiæ quarta sitos, & Cliterniam oppidum in Apulia Larino proximum: & Claternam, quam quidam Cliternam legunt, Cæsenam inter & Forum Clodii, Italiæ regione octava 7. constituit. Verum de Cliternia in Latio nullam mentionem facit. In agro circa Cisternam inter vigesimumnonum & trigesimum lapidem Appiæ viæ Ligorius idem asserit, illustres villas & sepulcra

5. Epist. 22. l. 9. ad Papir. Pætum.

6. Plin. l. 3. c. 12.

7. Idem l. 3. cap. 15.

cra Romanorum olim extitiſſe; refert autem (v. *Digeria*) effoſſas inde fuiſſe Apollinis ſtatuam, aliaſque Muſarum & Cereris cum inſcriptionibus M. Digerii Priſci Equitis Romani.

Alliæ etiam Gentis per eumdem tractum eruta monumenta Ligorius idem memoriæ prodidit cum hujuſmodi notis:

D. M
8. C. ALLIO C. F. OVF. LATINO
EQ. ROM. PRAEF. TVRM. LEG. VII. GEMIN
VIX. ANNIS LVIII. M. D. IIII
ALLIA RESTITVTA NEVIANA
ET M. ALLIVS P. F. OVF. CVRIO
PARENTES PONI CVR

8. Quatuor ſequentes Inſcriptiones depromptæ ſunt ex Lib. 2. c. 20. Vet. Latii, Card. Corradin. pag. 200.

& in altero lapide:

M. ALLIVS M. F. OVF. VARVS
EQ. ROM. OPVS INCHOAVIT
RESTITVIT PRO GRAD. PVB.

Voce autem *Alpuſianum*, refert, intra idem ſpatium vigeſiminoni ac trigeſimi milliarii in agro circa Ciſternam ſepulcralem lapidem effoſſum fuiſſe, in quo Plutonis imago Proſerpinam rapientis exculpta erat. Repræſentabatur autem Pluto quadrijugis vectus, atque inibi antrum inciſum fuerat; ex quo triceps Cerberus adverſum raptorem allatrabat; cum inſcriptione:

C. ALPVSIAE
VENERIAE M. ALPVSII FIL. DVLCISSI
PVLCHR. VIX. ANN. XIX. M. III. D. VIII
M. ALPVSIVS M. F. QVIR. IVVENCVS
L. LICINI GALLIENI AVG. CVBICVLAR
F

Deni-

Denique idem auctor voce *Herminia*, Saxum affert circa eadem loca repertum cum literis, quarum exemplar hujus libri capite tertio * jam dedimus, & * *pag.* 221.
Herminiæ Gentis sepulcralem lapidem fuisse diximus. Quod etiam, rus & villam Gentis ejusdem circa hoc oppidum fuisse argumento est. Quæ omnia celebritatem loci designant.

FINIS LIBRI QUINTI.



INDEX RERUM
MEMORABILIUM
Quæ in his libris continentur.

A

B

C

D

F

G

H

K

L

M

N

P

R

Rus

TA-

TABULÆ MONUMENTORUM

AC RUDERUM.

In quibus veteris Antii ac Norbæ ædificiorum aliqua adhuc apparent veſtigia, in his libris expreſſæ.

LIBRO DE ANTIATIBUS.

tii visitur, figuræ pars prope Antium Promontorium sita, vulgo Caput Antii *dictum.*

Tab. XI. *Templi ejusdem vestigia & prospectus ad mare prope Antium Promontorium.*

Tab. XII. *Signum Jovis e ruinis Antiatum eductum.*

Tab. XIII. *Signum Palladis e ruinis Antiatum.*

Tab. XIV. *Rudera antiquissimi atque olim celeberrimi Templi Fortunæ Antiatis, quæ adhuc extant ad antiquum Antii portum.*

Tab. XV. *Sinus antiqui portus Antiatis quæ adhuc visuntur ruinæ.*

Tab. XVI. *Vetusti portus Antiatis ab Nerone constructi molium quæ nunc visuntur facies.*

Tab. XVII. *Aræ antiquæ, in quibus nautæ sacrificabant, ad veterem Antii portum repertæ.*

Tab. XVIII. *Novi portus Antiatis ab Innocentio XII. P. M. exædificati facies.*

Tab. XIX. *Antiquissimarum ædium vestigia ad Asturam, quæ Ciceronis Villæ rudera esse creduntur, una cum parvæ arcis, quæ inibi etiam nunc visitur, figura.*

Tab. XX. *Figura jactæ molis in altum ad Asturam prope Turrim, quæ vulgo* Balnea Marina *nuncupantur.*

LIBRO DE NORBANIS.

Tab. XXI. *ANTIQUAE Norbæ quæ adhuc extant mœnia prout in Orientem aspicientibus visuntur, quæ in planitie verticis Montis Norbani bis mille passuum circuitum conficiunt, Paludibusque Pomptinis imminent. Sunt autem ex secto & quadra-*

to

to lapide ædificata, unde urbis amplitudinem quondam & magnificentiam licet dimetiri.

Tab. XXII. *Ingentis fornicis sive cavernæ pars in Occasum vergens in media ferme antiqua Norbana urbe adhuc superstes, intra quam orbiculati templi vestigia quædam apparent. & templi ejusdem ruderum facies, cujus area palmos Romanos quinque & viginti extenditur.*

Tab. XXIII. *Vetustissimi Nympharum templi vestigia ad Nymphæum oppidum, lacum, & amnem, juxta Norbani Montis radices, quo loco a Christianis Divo Michaeli ædes olim fuit consecrata, illique conjuncta amplissima ædificia Sancti Benedicti assectis attributa ad incolendum, vulgo* la Badia di S. Angelo *appellata. Nunc diruta omnino, & uni tantum solitario homini ad exigui sacelli custodiam destinato inhabitata.*

Tab. XXIV. *Norbanæ Gentis Romæ illustris Nummi.*

Ordo collocandarum Tabularum.

Errata ita Corrige

Pag. 5. lin. 24.	confacrarunt	confecrarunt
Pag. 22. lin. 8.	obnegaverim	abnegaverim
Pag. 144. lin. 14.	octavi	fecundi
Pag. 225. lin. 24.	moles	molas



P A T A V I I. CIↃIↃCCXXVI.
Excudebat JOSEPHUS COMINUS.

Libri impressi nella Stamperia Cominiana, eretta a spese de' Sigg. Volpi; de' quali si truovano ancora esemplari vendibili; colli loro prezzi.

Jo. Poleni de Motu Aquæ Mixto, &c. 1717. cum fig. 4. chart. maj. (*stampato a spese dell' Autore.*) L. 7

Andreæ Naugerii Opera omnia. 1718. 4. ch. maj. L. 10

Gabrielis Faerni Fabulæ, & alia Opuscula. 1718. 4. ch. maj. L. 5

La Coltivazione di Luigi Alamanni, e le Api di Giovanni Rucellai. ec. 4. *in carta grande.* L. 10 : 10

Jo. Poleni liber de Castellis per quæ derivantur fluviorum aquæ, &c. 1718. cum fig. 4. ch. maj. (*a spese dell' Autore.*) L. 3

Hieronymi Fracastorii, aliorumque Veronensium Carmina. 1718. 8. ch. maj. L. 4

Jacobi Sannazarii, aliorumque Poemata. 1719. 4. L. 6

Marmi Eruditi postumi dell'Orsato, con note. ec. 1719. 4. *in carta gr.* L. 10

Jo. Baptistæ Morgagni Adversaria Anatomica Omnia, Batava editione, quæ posterior est, at minime aucta, longe correctiora. 1719. cum fig. 4. ch. maj. L. 18

Augustinus Valerius de Cautione adhibenda in edendis libris. &c. accedunt Patriciorum Venetorum Orationes. 1719. 4. L. 5

Sermoni di S. Carlo Borromeo. 1720. 4. L. 2 : 10

Philippi Riceputi Soc. Jesu Prospectus Illyrici Sacri. 1720. 4. ch. maj. L. 1.

C. Valerii Flacci Argonautica. 1720. 8. L. 2.

Jo. Poleni Prælectio de Mathesis in rebus Physicis utilitate. 1721. 4. ch. maj. (*a spese dell' Autore.*) L. 1 : 5

T. Lucretius Carus de Rerum Natura, Præfatione, Argumentis, Indice, Var. Lectionibus illustratus. 1721. 8. L. 4

Boethius de Consolatione Philosophiæ, & Elpidis ejus conjugis qui vulgo feruntur Hymni. 1721. 8. L. 2

Corn. Nepos cum Variis Lectionibus ex Jensoniana & Aldina editione. Edit. II. 1721. 8. L. 2

A. Corn. Celsus, & Q. Serenus Sammonicus de Medicina, cum notis Th. Almeloveenii, & Rob. Constantini, nec non Cl. Morgagni IV. doctissimis Epistolis. 1722. 8. L. 7

Sallustius, cum Fragmentis Veterum Historicorum mirum in modum emendatis & auctis. &c. 1722. 8. L. 4

Le Rime del Petrarca riscontrate con ottimi esemplari stampati, e con uno antichissimo Testo a penna: con l'aggiunta di molte composizioni, notizie, ec. 1722. 8. L. 4.

L'Aminta di Torquato Tasso, e l'Alceo di Antonio Ongaro, emendatissime. 1722. 8. L. 2

Discorso Accademico del Dottor Gio. Antonio Volpi: Che non debbano ammettersi le Donne allo studio delle Scienze e delle belle Arti. 1723. 4. L. -- : 10.

Le

Le Rime d'Angelo di Costanzo. III. Edizione corretta, ed accresciuta. 1723. 8. L. 1

Le Opere Volgari del Sanazzaro, cioè l'Arcadia alla sua vera lezione restituita, colle note del Porcacchi, del Sansovino, e del Massarengo: le Rime arricchite di molti componimenti: ed alcune Lettere; il tutto riveduto, corretto, ed illustrato. 1723. 4. L. 10

Lettera d'Istruzione a una Monaca Novizia. 1724. 4. L. 2 : 5

Trattato della Tribolazione, di Bonsignore Cacciaguerra. 1724. 8. L. 1 : 5

Il Combattimento Spirituale, e le altre Operette divote del P. Scupoli Teatino, nuovamente corrette, ed illustrate. 1724. 8. L. 3 : 10

Christophori Cellarii Orthographia Latina. Edit. I. Patavina. 1724. 8. L. -- : 15

Parere intorno all'antico stato de' Cenomani, ed ai loro confini, del Canonico Paolo Gagliardi. 1724. 8. L. 1 : 10

La Penelope, Tragedia di Giuseppe Salìo, ec. 1724. 8. (a spese dell' Autore.) L. 1 : 10

Maria, Rime di Neralco, Pastore Arcade. con figure in rame. 1725. 8. L. 3

Joannis Antonii Vulpii Carminum Libri tres. Ejus item Opuscula soluta oratione scripta. Accessere Eruditorum quorumdam virorum quibuscum ipsi amicitia intercedit, Poemata nonnulla. Necnon Joannis Antonii Vulpii antiquioris, Patricii & Episcopi Novocomensis, ac Hieronymi ejus fratris Carmina quæ supersunt. 1725. 4. L. 7

M. Accii Plauti Comœdiæ superstites viginti, cum Fragmentis deperditarum; ex optimis quibusque editionibus, at præcipue Friderici Taubmanni, diligentissime repræsentatæ. Accessit Index, in quo rariora & obsoleta poetæ verba breviter ac dilucide explicantur. 1725. 8. *in carta fina* L. 7. *in carta corsiva* L. 5

Le Lettere Familiari di Annibal Caro, divise in due volumi; corrette, ed arricchite d'una giunta considerabile, d'Indici, e di notizie. 1725. 8. in carta fina L. 7. in carta corsiva L. 5

Veteris Latii Profani Tomus III. in quo agitur de Antiatibus & Norbanis, Auctore Josepho Rocco Vulpio, Soc. Jesu Sacerdote; in 4. chart. maj. cum figuris. *Opera già cominciata dall' Eminentissimo Signor Cardinale Corradini, ed ora continuata per suo comando*. L. 12

Sta ora sotto i torchj il seguente Libro:

La Divina Commedia di Dante Alighieri, giusta l'Edizione degli Acc. della Crusca: col Rimario de' versi interi, e con due Indici copiosissimi, l'uno delle parole e delle frasi, l'altro delle Storie e Favole; il tutto distribuito in 3. *volumi in* 8.